VITÆ ANIMALIS
MORBUS ET MEDICINA.

Suæ vindicata origini

DISQUISITIONE

PHYSICO-MEDICA,

Quâ ſimul

Mechaniſmi & *Spinoſiſmi* deliramenta funditus deteguntur, & mathematicâ evidentiâ ex ſanæ rationis circulo deturbantur, & *integrum univerſi motus Syſtema* concinnis vinculis nectitur.

Auctore

CHRISTIANO DEMOCRITO M. D.



LUGDUNI BATAVORUM,

Ex OFFICINA LUCHTMANNIANA 1711.

Deo & Proximo

Sacrum!



LECTORI.



ttonitos nonnihil in me defigent oculos, qui ante actæ vitæ meæ gnari, præsentia molimina pristino meo instituto commetientur. Vix enim lustrantibus pervium erit, quî jam dudum in studio Theologico stationes publicas satis spectabiles in cathedra pariter Academica ac Ecclesiastica oblatas subterfugiens, ut & collatum a Potentissimo Danorum Rege Consiliarii Dicasterii munus susque deque habens, demum, ordine rerum mundanorum prorsus inverso, Doctoris Medici titulum ambire non detrectaverim. Ex scriptis vero publicis, elapsis hinc retrò annis 14. subinde abs me editis lectori æquo & oculato facile patescit ratio, cur animus divina veritate imbutus, & juxta hujus ductum gressus suos dirigere intentus, horreat pariter sectariorum leges in Religione præposteras, ac consultò aberrantia a bono publico Pseudo-politicorum instituta, ubivis fere locorum vigentia, ad quorum dictamen muneri publico implicito eundum est, quò itur, nil solicito de consuetudinis & legum receptarum justitia, in quam inquirere, vel quam levi conamine suspectam reddere pro crimine læsæ Majestatis, vel saltem impudentis & imprudentis nasutuli conatu proclamatur, certa insecutura oppressione, & ludibrio redundatu-

ro in ejus caput, qui Domino, cui servit, vera edicere ausus fuerit.

Hæc tela prævidens prudenter & Christianè me egisse omnino persuasus sum, subducendo me a muneribus publicis, non desidis otii gratia, sed ut liberiore gressu, &, ut ita loquar, magis publicè veritati propalandæ, quatenus a Patre luminum, adminiculante rerum retroactarum historia & viva experientia, innotuit, invigilare licitum sit: eò penitius, suavius, & securius animum legentium non penitus excœcatorum subintraturæ, quò longius a conspectu semotus Auctor, & nullarum partium studio implicitus personalique affectu liber, minus ferit personas, commota hinc plerumque bile sibimet oculos eruentes, & implacabili odio in suasorem concitati, dedecori sibi ducentes, monitis assurgere, quæ alias ultro sedata amplecti cogitur conscientia. Hunc laboris mei fructum non una vice jam dum percepi, ac, in posterum largiore messe carpere, non despero, fidem faciente dictis Numine Divino, Veritatis suæ potenti vindice, multos jam in tramitem rectum verberibus adacturo, quibus verba veritatis in vanum surdas, dicam, an apertas pulsavere aures; interea sortem illis non invidens, nec consilium eorum perstringens, qui muneribus publicis detenti alicubi locorum honori Dei, & bono proximi vacare posse sibi promittunt; viderint saltem muniti divina gratia, ne malum pestilens, cui curando gnaviter incumbunt, blando nimis & occulto veneno medicas manus simul inficiat, & mentem

Deo ac veritati dicatam mendaci fuco fascinet.

His & aliis æquis rerum æstimatoribus (de iniquorum enim & male feriatorum judiciis dependere ineptum judico) facile excusabor, si, dum coram mundo sub nomine & functione quadam conspici, vel latere, rationes non contemnendæ suadent, potius eligam corporis contrectare mala immedicabilia, si quæ sunt, quam frustrato omninò successu rerum gerendarum curam in me suscipere, sub quibus ipsa mens diris constringitur vinculis, & aliis anxiè prodesse intenta tandem mercedis loco sauciæ conscientiæ vulnera luget, si non una sinistros & graves corpori eventus conqueri necessum habeat. Sola enim ferè ars Medica, una cum ancillante illi Philosophia naturali inter eruditorum ordines nostro ævo felici hoc gaudet fato, quod cuivis rei susceptæ non ignaro ex animi sententia loqui & agere sine periculo integrum sit, ac in nullius magistri verba jurando ea libertate frui, quæ hominem ingenuum decet, & quæ solerti veritatis indagatori, veræque sapientiæ discipulo apertam ad ulteriora & meliora viam relinquit. Ac licet nonnullibi ereptam sibi dictaturam quidam ægrè adhuc ferant, & inani gloria, & turpis lucri cupidine acti freno constringere veritatis studiosos & boni publici cupidos non parum annitantur; auctoritate tamen pollentes hæc intentata servitus nondum invenit tutores ac patronos, nec, spero, in posterum inveniet, cùm ex omnium re sit, bono potiri Medico, non emersuro ex præscriptarum hypothesium & formularum circulis, sed ex sagaci ve-

ritatis naturalis ſcrutinio, & vivæ, ſtultorum pariter ac ſapientium magiſtræ, experientiæ manuductione, omnia ſane præjudicia & auctoritatis vincula prorſus reſpuentibus.

Accedit ad hæc, quòd naturali quaſi genio à teneris in id ſtudii genus ſemper abreptus ſim; Licet enim ex parentum conſilio Theologiæ, ceu vocant, deſtinatus lectiones Academicas adiverim, ac iſthic inſatiabili cuncta ſciendi cupidine, inani gloria ſubdente ſtimulos, flagrans omnibus promiſcuè Profeſſoribus auditorem me ſtiterim, nil tamen magis egi ex animi ſententia, quam quod in Phyſices & Medicinæ latè patente campo videbatur profectus meos promovere poſſe.

Hinc, cùm poſtea, miſerante conditionem meam Deo benigno, apertis oculis, & detracto inanis perſuaſionis ſupercilio, meipſum, Deum & res creatas aſpicere contingeret, poſt æternorum curam nil videbatur terendo in bonum publicum tempori aptius, quam genuinum naturæ vires inveſtigandi ſtudium, ubi, illucente Creatoris gratia, animus a præjudiciorum glaucomate purgatus, ac aliis inferioris conditionis ſubſidiis non penitus deſtitutus facile invenit, quod delectare pariter ac prodeſſe queat. Annis ergo jam fere 12. inveſtigando & experiendo conſumtis, adjutus utriuſque Anatomiæ inſtrumentis, ſuperficiariæ pariter, quæ armata manu & oculo corporum lambit ſuperficiem, & vaſorum continentium nexum & ſtructuram miratur, ac intimioris, quæ mediante igne cortices rumpit, & ſequeſtratis terreis & aquoſis vinculis, dotes

cor-

corporum naturalium congenitas in apricum producit, falcem in alienam messem non immissurum me spero, nec aliena a vocatione, quam dicunt, divina acturum, eligens & arripiens occasionem, ea liberiore cursu in bonum publicum erogandi, quæ hunc in finem concredita mihi judico.

Elegi ea de causa illicò tam latè patens, & uberrimo rerum detectarum fructu scatens argumentum, ut unà cum specimine qualicunque profectuum meorum, re ita exigente, edito lectorum veritatis cupidorum commodo pro virili velificem, ac viam haud salebrosam ad naturæ adyta pandam: annixus, ad gustum & captum moderni sæculi animi sensa, & rerum experimenta non ubivis obvia, vera tamen, puto, & proficua explicare, fretus, nonnullos fore candidos & sinceros studiorum alumnos, quibus inde ansa dabitur, æqua mentis lance receptas hactenus hypotheses & methodos librandi, ac vera a falsis separandi. Quali enim modio exhaustum putemus hactenus immensæ naturæ Oceanum, ut, ex subnascente & aucta indies cognitione, & experientia, pristina vel corrigere, vel supplere in commodum publicum nullatenus integrum sit? Et quis æquus arbiter ex hodiernæ Philosophiæ Antistitibus invideat mihi eam sentiendi libertatem circa detegendos ævi nostri errores, quam sibi jam dudum vindicarunt, in explodendis futilibus Scholasticorum abstractionibus pariter ac Aristotelis ignorantiæ, ceu dicunt, asylis, formarum nempe substantialium,

& qualitatum occultarum figmentis? Præprimis cùm intentionis meæ sinceritas sua radiet luce, non novitatis pruritu, non ostentandæ eruditionis inani gloria quicquam acta (ridiculum enim puto, & facto ipso id dudum commonstravi, ex apparatu literario aliquam venari gloriam) sed coacta fere veritatis divinæ æquè ac naturalis pessundandæ causam in se suscipiens, eundo obviam auctoritati & inventis quorundam indies in deterius valituris, ac cum Deo ipsam naturam horrendo tenebrarum abysso recondendam minitantibus; licet de mathematica, & demonstrativa reducta physices claritate magni ubivis resonent clamores antecedentium cohortem non tam consilio quam impetu sequentium, ac prælmaturè sibi de securitate congratulantium.

Horum, ceu lectoris cujusvis veritatis inquirendæ avidi, ut animum suppeditato quodam prægustu dicendorum occupem, brevi hypotyposi in antecessum subjiciam oculis ea omnia, quæ concatenatis rationum momentis sequentibus pagellis persequar. Dispescui nimirum hanc de *morborum* & *medicinarum origine* disquisitionem in tria capita, quorum *primum* sistet vitæ ipsius naturam, sine qua, quantum in hac rerum caligine possibile est, non accuratè expensa, natura morbi & medicaminis nunquam in conspectum prodibit. In abstrusissimo hoc negotio, a nullis scriptoribus, quos legere contigit, tacto, evincam nec obscure nec flexuose, vitam in se esse actum substantiæ incorruptibilis, independentis in suo esse a structura corporis mathema-

tici,

tici, tam in ſe ipſa immediatè ſenſilis ſine imaginatione partium objectarum, ac ſibi per actum reflexum cogitationis intimè præſentis, quàm per objecta ſenſuum externorum affectibilis: hinc nullatenus in ſe & ex ſe morti, ſeu diſſolutioni obnoxiæ, licet machina corporea, quam vivens verſat, turbata & recedente à functionibus ſuis vita, in ſua abeat principia, quam diſſolutionem mortem vocare licebit. Hanc telam perſequar per omnes rerum viventium claſſes, indicatis ſaltem hic & illic conjecturis meis probabilibus, ubi demonſtrativa deficit claritas.

Secundum caput exhibebit objectum Medici ſingulare, animal humanum morbis & affectuum turbis apprimè obnoxium. Recenſebuntur hic, ad cujusvis captum expoſitæ, genuinæ morborum origines, ac per anatomiam utramque tentata officinæ animalis interiora deproment ſimul claves, ad inveniendas cuivis morbo dicatas medicinas, non conjecturales & fortuitas omninò, ſed evidente axiomate indicatas. *Tertium* caput, per remotionem, debilem undiquaque ſtructuram introducti a Philoſophis corpuscularibus, ceu *Boylæo Anglo* audiunt, Mechaniſmi naturæ minimo conatu ſubvertet, oſtendendo, *modos* illos, quos vocant, corporis eſſentiales, & quibus omnia naturæ phœnomena ad oculum demonſtrari poſſe jactitant: *motum* nimirum, *menſuram*, *figuram*, *poſituram* & *quietem*, nullatenus ex natura corporis, ſeu ex corpore ſibi relicto reſultare; quin imo nullam qualitatum tactilium corporis, *gravitatem*, *levitatem*, *ſoliditatem*,

fluiditatem, *duritiem*, *mollitiem*, & inde resultantes affectiones ex Mathesi inveniri & demonstrari posse. Ut proinde magno isto instrumentorum variorum mechanicorum apparatu oculos potius inanibus præstigiis demulceant, quam veram motus naturalis rationem enarrent, idem prorsus agentes, quod velati icuncularum pictarum & fictarum agitatores puerulis adstantibus & vivam quasi imaginem admirantibus imponentes, dum mota instrumenta ostendunt, & agens ceu movens primum obvelatum recondunt. Quanquam nil detractum velim laudi eorum, quorum inventa commodi aliquid & utilitatis indigentiæ humanæ contulerunt, nec omnino etiam improbem, in re nullius momenti delectamenti causa curiosum esse; dummodo ex nullius pretii instituto, præcipiti nimis conatu & consequentias nectendi libidine, seriæ & sanctæ veritati non offundatur nebula, qua in re malitia nostri seculi, feracis impietatis pariter ac eruditionis prætensæ, non una vice caput extulit, et insulsum infrunitorum gregem, etiam è tonsoribus & lippis collectum, cornibus Philosophiæ adeò armavit, ut brevi Philosophastros non tam fieri, quam nasci multis in regionibus, dici posse, credibile sit.

Quod restat, Lectorem in judicia severa forte procliviorem ea, qua decet, observantia adhortamur, ut sedato animo & fixis mentis oculis omnia prius legat & intelligat, antequam judicet. Non enim proponentur Rhapsodiæ, vel male cohærentia spolia; sed non interrupto veritatis,

ritatis, ceu putamus, filo connexæ, & ex uno fonte promanantes animi pro viribus vero & bono publico ſtudentis meditationes, non ubivis obviæ, & hinc accuratiore ſcrutinio perluſtrandæ, oculiſque hominis eruditi & erudiendi non adeò indignæ. Quod ſi obtinuero, non dubito, quin aliquos ſaltem inveniam bonæ cauſæ ſuffraganeos, aliquos etiam ſuſcepto ſuo ſalebroſo itineri diffidentes, & ad ulteriorem veritatis inquiſitionem animatos; plurimos denique, qui, id juris & libertatis mihi deberi, concedent, quod ſibi ex eruditorum grege nullo non tempore arrogarunt alii, donando ſubinde novo aut recocto problemate mundum ſciendi cupidum, ac earundem cupediarum diuturno temporis tractu oblatarum pertæſum. Videant ergo rurſùs, pace ſua moventia & viventia fixa, qui diu ſatis a quovis vento ac aëre preſſi in confusè agitatis volitarunt particulis, ac, ſi velint, pedem mecum ibi figant, ubi immobilis vitæ perennis ſcaturigo adeò demulcet & detinet ſui cupidos, ut omne ulterius ſciendi ac guſtandi deſiderium ultro faceſſat, præſentibus & concurrentibus in centri puncto omnibus totius perfectionis circuli è circumferentia rerum creatarum lineis, ut, unum in omnibus, & omnia in uno intueri, liceat ſemper genuino ſapientiæ diſcipulo.

CAPUT PRIMUM.

De Natura Vitæ in genere.

1. Foris plerumque ſat acuti ſapimus, eorum interim, quæ domi fiunt, aut ignari, aut ob actuum & conſuetudinis contractum habitum valdè incurii: mirum ergo non eſt, ſi, dum vivimus, ac ſingulis momentis actus vitales elicimus, vitæ ipſius natura & indoles conſpectum noſtrum ſubterfugiat, ac nil magis agentem fatiget, quam actu in ſe reflexo ſe agentem intueri, aut, divino plane inſtituto, ſe ipſum cognoſcere. Difficile tamen non eſt, aliqua vitæ Phænomena vivacis ingenii radiis luſtrare, ex iiſque penitius introſpectis conſequentiâ demonſtrativâ ipſius ſubjecti viventis ſtatum mentis oculis ſubjicere.

2. Afficimur nimirum vario per objecta ſenſibilia ſenſu, afficimur ex ſenſu variis deſiderii & odii affectibus, productis ſanè & phænomenis, quibus eliciendis, aut in ſeſe recipiendis, etiam fatente modernorum Philoſophorum choro, extenſio corporum mathematica prorſus inepta eſt; ni forte velis abſurdorum myriadibus te involvere, ac dicere, quamvis corporis particulam & atomum ſenſus & inde propullulantium affectuum eſſe tam ſubjectum, quam objectum, ac eodem momento agere & pati aptum natum,

ultra-

ultraque essentiæ suæ terminos, minutissimæ nimirum extensionis suæ obliviscendo, effectus sistere, in quibus dimetiendis omnibus totius orbis Mathematicis omnis in æternum luderetur opera: Quadraturam nimirum circuli, longitudinis dimensionem, & perpetui mobilis nexum pro puerili & leviculo declaraturis, præ unius viventis affectu instrumentis suis & numeris declarando.

3. Invicta hujus asserti veritas ulterius vibrante satis contranitentium oculos constringet & præstringet radio, si, experientia prævia, consideremus, nullum per sensus externos, & per imaginationem partium objecti externi, posse in anima vivente oriri affectum, nisi anima actu cogitandi & judicandi in se reflexo, se sensisse sentiat, ac sensu communi imagines objectas distinguat, in quo sanè sentiendi ac judicandi actu anima sibi ipsi sine ulla imaginatione partium extensarum præsens est, ac consequenter immediatè tam sentiens quam sensibilis: actiones nimirum eliciens sine imaginatione partium, easdemque in se ipsa figens & determinans, nulla objecti imaginationem subeunte dimensione. Sentiente ergo anima se ipsam immediatè, sine imaginatione partium in objecto sensibili, consectarium est, animam in se omnis dimensionis mathematicæ pariter, ac combinationis figuralis physicæ ex hypothesi modernorum, esse expertem, ac per consequens ratione sui incorruptibilem, æternam duratione, ac non tam mobilem quàm moventem.

4. Incorruptibilitatis equidem animæ viventis allegata ratio ultrò in conſpectum prodit: Quicquid enim actione immediatè & ſine partibus conceptis ſenſili ſe ipſum ſine medio & imaginatione partium rurſus invenit, vel ſibi præſens eſt, id neceſſario tale eſt quale ſentitur, ſi qua in rebus eſt ſenſuum certitudo, quæ uno ore tantoperè extollitur; nam erroris cauſa ſemper eſt in medio, per quod ſenſatio dirigitur; ſi objectum eſſet cauſa erroris, nunquam non falſo ſentiretur, ſin ſubjectum, nunquam non falſò ſentiret, pereunte ita omni in rebus concipiendis certitudine. Certò ergo & apodicticè concludendi incumbit neceſſitas, omne vivens immediatè ſibi ipſe ſenſibile, qua tale, eſſe indiviſibile & incorruptibile; ſed quî ſit, reſpectu corporis & extenſionis mathematicæ, intactum & immobile, & tamen cauſa motus illius machinæ quam verſat, à priore penetrare non adeò conceſſum eſt, cùm rerum, præprimis ſpiritualium, eſſentiam nunquam conceptibus noſtris exhauriamus; intereà à poſteriore & convincente quemvis experientia adeò clarum & perſpicuum eſt, quòd ſit, ut, ceu ex ſequentibus patebit, ſolem ipſum negare lucidum, non tam perfrictæ frontis ſit, quam negare nexum & motus propagationem è re in ſe indiviſibili ad mobile extenſum & diviſibile.

5. Condonent ergo hic aliquid ignoranti, & ingenuè deficientis ingenii acumen exponenti, illi, qui illicò ea impoſſibilia proclamant, ubi nexus cauſarum effectus ſat evidentis in propatulo non eſt; ac permittant, ut extorta ab ipſis

igno-

ignorantiæ confeſſio in re prorſùs levicula, & ſenſibus externis obvia nobis rurſùs viam ſternat ſpiritum cum corpore nectendi, ac hunc nexum, ubi forte rimas rurſùs agere, & hiatu fatiscere deprehenditur, ipſis *Carteſii* particulis, in ſpiritum planè reductis, reſarciendi. Quærimus nimirum, *quonam pacto cohæreant ſibi, ceu compingantur corpora*? quæ quæſtio illis, qui omnium corporum particulas in promptu habent, & pro lubitu diſponunt, non figet crucem: verbi gratia, dicent, auri corporis ſolidi & tenacis admodum particulas ſibi cohærere, vel impulſu alius corporis, prementis nimirum aëris, vel figura propriarum particularum hamoſarum, & ramoſarum, ſibi invicem implicatarum, ſeſeque intricato nexu amplectentium; ſed, non cohærere premente aëre, in propatulo eſt, quia per antliam, vel ignis rarefactionem attenuato circa tale corpus aëris (ſi quod eſt, quod non eſſe poſtea evincemus) onere, corpus nihilominus ſibi cohæret, & ſoliditatem retinet. Cohærebit ergo tantum particularum hamatarum ſtructura; ſed quærimus ulterius, quî hami & rami, ut officium ſuum præſtent, neceſſario ſolidi & tenaces in ſe ipſis, combinentur vel hami fiant? Novis dicent neceſſariò hamis & ramis, & horum hamorum ſtructuræ præſupponent alios, procedendo ita in infinitum, aut ſubſiſtendo demum in *Epicuri* & *Lucretii* atomis, ſeu corporibus indiviſibilibus & inſecabilibus; ubi autem omnis cohærentiæ ratio exſpirat: inſecabile enim caret dimenſione, & cohærentia corporum ex hypotheſi non

non eſt niſi per ſuperficiem dimenſionis particularum. Vident ergo acuti nimis corpusculorum diſtributores, aufugere tandem è conſpectu eorum particulas, & vel in nihilum vel ſpiritum abire, ac demonſtrandi viam, qua procedunt, initio & fine prorſus carere. Fateantur proinde, ſe neſcire modum cohærentiæ corporum, aut, ad ignorantiæ aſylum cum *Ariſtotele* nimis male habito confugientes, dicant cohærere vel qualitate occulta, vel forma ſubſtantiali, vel ſi malint, nobis cum dicant, conſiſtere & cohærere corpora actu vitali & immobili cujusdam ſpiritus a particulis independentis, ac particulas intra ſphæram activitatis ſuæ continentis ac coarctantis, quo non ſuppoſito nulla affectio corporis, ceu *capite tertio* patebit, ad legum motus mathematici amuſſim quadrabit: cùm totius Mechanismi artificium nil aliud ſit, quam ordinato æquilibrio jungere agentia naturalia, ſphærâ activitatis ſuæ ſibi invicem ſubordinata, parentibus inferioribus agenti primo fortiori, cui per inſtrumenta ſua junguntur, neſciente interim artifice primi moventis rationem; quippe nec gravitas, nec durities, nec motus voluntarius, nec ulla alia affectio corporis in Mathematici manibus eſt, quam ne quidem mentis operatione, ceu patet ex dato reſolutionis exemplo, è natura corporis mathematici deducere compos eſt. Ac ſi hac reſolvendi hypotheſes Corpuscularium methodo reliqua acuti *Carteſii* figmenta, & præſuppoſita credenda de tribus illis univerſi elementis diverſarum particularum

figu-

figura & magnitudine distinctis, sub examen revocentur, illicò apparebit precariò & dicis gratia omnia reliqua inde deduci phænomena; quicquid enim sub certa figura & dimensione concipitur, primum non est principium, sed ex aliis corpusculis componentibus jam dum, liceat ita loqui, elementatum; & cohærentiæ istarum particularum ratio, qua certis determinantur figuris, rursùs in infinitas absurditates prolabetur, postulata à quærente rationis datæ ratione: ita ut, quocunque se vertant bruti & mathematici motus fautores, tandem in principio motus spirituali, & omnis dimensionis experte illis subsistendum sit, ac per consequens fatendum, omnem ex corporum superficie rerum creatarum phænomena naturalia explicandi conatum, adeò insulsum esse, ac si quis ex lima & malleo artificis, neglecto ipso artifice, operis affabrè facti structuram metiri, hisque instrumentis inventi laudem vindicare præsumeret.

6. Nescientes hinc ipsius corporis naturam & consistentiam sine præsupposito substantiæ immaterialis concursu explicare, vitio nobis non vertant, si statuamus, quodlibet extensorum fixas in mundo spirituali & incorruptibili essentiæ habere radices, seu indissolubili nexu cohærere cum spiritu quodam modificante, omnium diversarum qualitatum corporis auctore, imò ipsius corporis compactore, externam verò materiam, matheseos objectum, adeò inertem & superficiariam supponamus, ut vix umbræ essentialium rerum nomen mereatur, & hinc ne-

quaquam ex ſe apta ſit motus eſſe principium, cujus ratio multis paſſibus qualitatum tactilium naturam adhuc ſuperat, ceu poſtea videbimus. Nunc ſaltem oculis ſubjiciemus rerum vitalium diverſas motus ſpecies, &, experientiâ prævia, ſat, ut opinor, validis rationum munimentis evincemus, vitam ſentientem &, pro activitatis ſuæ ſphæra, ſenſu communi & intellectu præditam, ubivis primi & intermedii motus eſſe principium, medium itidem directivum, & ultimum terminum, qua movente corpus movetur, & qua ceſſante à motu, quieſcit. Ordiemur à noſtra corporis machina, ejuſque motuum differentias deſultoriè tantùm attingemus, quia in capite ſecundo uberior harum expendendarum dabitur occaſio. Facultas locomotiva noſtri corporis animati prorsùs ad oculum cujusvis apparet eſſe libera: movemur enim ex animæ variis ſenſibus variè affectæ nutu, & ſenſatio, affectio viventis animæ immediata, per totum diſtributa, corpus, evincit animam viventem machinæ ubivis intimè eſſe præſentem, ac ſuo muneri intentam illicò vel obſtacula irritato affectu cognoſcere, vel commoda ſuavi deſiderio & guſtu amplecti, ex quibus affectibus prorsùs ſpiritualibus omnis doloris & titillationis ſenſus, & hinc morboſa vel ſana vitæ conſtitutio unicè dependet. Cadaver quippè anima inhabitante orbum nec ægrotat nec ſanum eſt, quia in illo ſenſatio nulla recipitur; ex ſenſatione verò externa & interna motus localis directio, qui proinde rei à corpore prorſùs in dependenti de-

bet

bet originem, & ſpiritualis eſt proſapiæ. Cur verò anima in aliis partibus corporis magis afficiatur ſenſu, in aliis minus, capite ſequente ad oculum patebit, ad quod lectorem ſuſpenſum ablegamus; hic ſaltem indicantes per tranſennam præpoſteram Anatomicorum tam veterum, quàm recentiorum, de muſculis localis motus directoribus, opinionem, omnes ſanè leges motus mathematici evertentem, quibus movens & mobile eodem centro figi prohibentur: fixis hinc undiquaque in corpore movendo muſculis, per placita *Archimedis*, & omnium æquilibrii peritorum, motio corporalis malè adſcribitur, nequidem, ut inſtrumenta, ad tale munus deſtinatis, cùm diligenti ſcrutatori ultrò pateat, ad ſiſtendum potiùs motus concitatioris impetum, muſculos ſuis tendinibus oſſibus, & aliis partibus ſolidioribus eſſe inſertos, reſiſtentibus, verbi gratia, in parte convexa inflexæ juncturæ muſculis, ne nimiùm inflectendo articuli luxatio oriatur, & ligamenta rumpantur, ſicque in parte flexuræ concava, objecta extenſi ſui mole, contracta quodammodo & pro motus menſura retrocedente, eandem officii partem implentibus, de cœtero ad caloris conſervationem, & fovendas partes ſubjectas nobiliores, concinnitatemque figuræ corporis, à provida ſibi vita factis & deſtinatis. Quam ſententiam ſtabiliunt muſculi & iis partibus corporis annexi, quæ nunquam, niſi à movente extrinſeco violento, moventur, ceu fit in auriculis, ſat validis muſculis oſſi petroſo alligatis, nec tamen à muſculis

illis unquam motis, nisi fortè ad capiendam veram motus rationem aures adhuc erigere velint musculorum moventium Antistites. Nec juvat confirmandæ huic opinioni erroneæ aliam substruere, de spiritibus nimirum animalibus, animæ in glandula pineali vel in cerebro residentis jussa exsequentibus, & musculos inflantibus, conceptasque sensuum ideas gradu celerrimo ad animam cogitantem, & dijudicantem reportantibus, & nescio quid non cursoris & internuncii muneris exsequentibus; precariò enim asseruntur hæc omnia, si non ridiculè: Anima quippè omnibus corporis partibus ut adsit æquè apta & inepta est, at ubi sentit, ibi immediatè tam corpori, quàm sibi præsens est; materia verò corporea, ex qua spiritus animales, ipsis assertoribus fatentibus, constant, licet sit subtilis, in se non est, nec esse potest, sensilis, & hinc nec idearum dolorificarum subjectum recipiens, multo minus tam celer, ceu sensatio cum cogitatione coincidit, ab extremo pedis digito, ad cerebrum cum concepta idea decursor, & internuncius: per nervos enim illi reptandum sat tenues ac nullius ferè concavæ capacitatis, adhæc non raró circa comprimentia articulorum ligamenta tartaro podagrico obstructos, quem perreptando, fortè nova concepta doloris idea, primam exueret, & sic omnis luderetur animæ præsidis intentio. Quòd verò ex musculis per spiritus animales inflatis & ita contractis nullatenus dependeat motus localis partium, ad oculum ostendit linguæ tot musculis undiquaque

firma-

firmatæ ſpontanea ex faucibus exſertio, quâ omnes linguæ muſculi in longum extenduntur, & utrinque tendinibus ſuis motui renituntur, evidentiſſimo indicio, potiùs ad moderandum, quàm promovendum motum muſculos eſſe deſtinatos.

7. Fatemur interim, eſſe inſuper in officina animali quandam motus ſpeciem, quæ non immediatè animæ ſentienti, ſed vitæ, ut ita loquar, intermediæ, igni nempe flammanti, quo ceu inſtrumento culinari vivens principale utitur, debet originem, quam flammam agitantem actu ineſſe corpori capite ſecundo evincemus. Eam verò, & ab illa dependentem ſanguinis circulum, caloremque qui actu ſentitur, omninò eſſe ſub libera agentis principalis diſpoſitione, evincit actus liberrimus inſpirationis, & expirationis aëris ad hunc fovendum ignem neceſſarii, quæ aëris flabellantis reciprocatio, pro intentione viventis arbitraria, modò concitari, modò remitti, imò prorſus ſiſti poteſt, ſubſequente ſuffocatione culinaris iſtius ignis, & morte præſentanea. Quo animæ obſtinatæ & deſperantis molimine mancipia Indiarum occidentalium, ſortis ſuæ iniquæ pertæſa, ſeſe pro lubitu ſæpiſſimè occidere, ex relatione conſtat, & ſimul experturo cuivis aſſerti veritas pretio tali redimenda conceditur. Dicent fortè muſculorum moventium patroni, actum reſpirationis poſſe quidem determinari pro viventis ſpiritualis, ceu animæ in cerebro reſidentis lubitu, ablegando ad id muneris ſpirituum animalium tur-

mas; in ſe tamen de cœtero eſſe automaticum, cùm extra hujus intentionis concitantis, vel remittentis impetum, reſpiratio ordinario procedat tramite, nec ulla amplius animæ voluntariè agentis eliciatur ad reſpirandum intentio; ſed norint, in omnibus actionibus, quantumvis voluntariis, crebrò repetitis ſubnaſci tandem agendi habitum, & faceſſere primam agentis liberè intentionem determinativam: ſic ſutor conficit calceum intentione libera, nec tamen inter conficiendum quovis momento novum intentionis actum elicit: ſic in hortum vel alibi deſtinato conſilio abiturus non ſingulis paſſibus renovat intentionem, ſed fortè aliis abripitur cogitatis, nec minus tamen liberè procedit: idem prorſùs contingit animæ in officina ſua ordinariò occupatæ: videntur ibi actiones per crebram repetitionem factæ quaſi automaticæ, quæ revera intentioni liberæ originem debent, ceu eſt reſpiratio, diſtributio alimentorum aſſumtorum, quâ partes tam continentes, quàm contentæ à centro ad circumferentiam augentur & creſcunt, famis & ſitis vellicatio, à functionibus quibusdam, qua ſomnus inducitur, ceſſatio, excrementorum ſequeſtratio, nullo excitante à ſomno facta excitatio, & id genus plura, quæ non niſi à ſapiente, & cum intentione agente arbitro dependere poſſunt. Ut taceam ipſius machinæ corporalis admirandam fabricam, & inſtrumentorum cohærentium nexum, cui operi jam in utero matris, à ſenſuum externorum objectis minus turbata, vacavit anima, omnia pro

pro indito sibi sapientiæ sensu disponens, aliquando etiam ab ordinis recepti tramite recedens, & Anatomicorum industriam in determinandis structuræ legibus notabili discrimine eludens, quandoque itidem ab animæ maternæ, cui adhuc subordinatur, inordinatis phantasiæ & appetitus insultibus, ab officio destinato quasi retiacta, & in errorem conjecta, unde monstrosæ & mutilæ configurationis origo. Hæc ab experientia suppeditata phænomena si quis cum motu automatico conciliare annitatur, automa mente vacuum meritò credendus est: Automa enim aliud automa nunquam produxit, nec à nudè cogitante operatione mentis unquam fractum est & mutilatum. Neque Deus, quem aliqui structuræ hujus fabrum immediatum substituunt, per impressiones spirituales imaginantis matris in officio turbabitur, ut & natura, nescio quid spectri hic designans: sive enim hoc nomine machinæ universalis motum, quem volunt, mathematicum intelligas, sive animam quandam universalem totum globum cum incolis suis versantem, utriusque constans, & ab agentibus inferioris sortis non turbata actio permaneat, necessum est, nì velis brevi omnia in chaos, quod volunt, primævum relapsura videre, & novæ ex confusis particulis emersuræ machinæ initia avidis confirmandæ hypotheseos *Cartesii* oculis lustrare.

8. In brutorum familia eadem prorsùs in conspectum prodibunt: licet enim homo ad imaginem Dei, & ad cognoscendum & degustan-

dum Deum conditus, ceu ſequente patebit capite, vitæ adhuc ſublimioris & amplioris inſtructus ſit fundo, quem ſpiritum ab anima diſtinctum, ſcripturâ ac ratione prævia, eſſe evincemus, interim tamen brutis conceſſa ſenſuum & inde propullulantis ſagacitatis ac miræ ſolertiæ adminicula, ex ſupra aſſertis demonſtrant, pollere ea vita in ſe ſpirituali ac ex ſe incorruptibili. Quam veritatis inconcuſſæ ſentiens evidentiam ipſe *Carteſius*, ac conceptum de anima hominis, cogitatione nuda eſſentiæ incorruptibilis limites abſolvente, à brutis removere annitens, eò proceſſit audaciæ, ut contra ſenſum & experientiam tactus ſenſum illis adimeret, videlicet convictus, tactus ſenſum, & hinc propagatos vitæ ſentientis affectus, non præſuppoſita cogitatione, & actione animæ in ſe ipſam reflexa, nullatenus conſiſtere poſſe; ſed non attendit acutus in tangendo Philoſophus, adempto brutis tactu, reſtare adhuc ſenſus alios: auditum nimirum, viſum guſtum & olfactum, quibus multa bruta hominem cogitantem antecellunt, & quorum ſenſatio æquè impoſſibilis deprehendetur, ſublata vita cogitante, & impreſſiones iſtas ſenſuum externorum ſenſu communi & judicio diſcernente, ad fugienda ea, quæ noxia deprehenduntur, & amplectenda, quæ conducunt; quibus tamen animæ ratiocinantis, & ſibi caventis functionibus bruta nonnulla ipſis corruptis hominibus ad oculum adhuc palmam præripiunt, quia deſtituuntur mentis ſpiritu, ceu vitæ fundo ferè in-

finito,

finito, à ſolo Deo ſatiabili, qui per lapſum à Deo averſus, & pabulo ſuis deſideriis reſpondente orbatus, jam per vitæ inferioris ſenſus animam humanam, cum qua jungitur nexu indiſſolubili, exagitat, & nunquam ſatur omnes rationis ſanæ leges eandem tranſgredi quaſi cogit: hinc ea dirarum paſſionum turba, hinc affectuum concitatorum, & in ipſius corporis machinæ detrimentum tendentium inſultus inconditi, variorumque morborum ſemina, hinc denique omnis infrà ſortem beſtiarum aliquando longè deſcendens humanæ conditionis miſeria, verificato ſenſu illius triti: *Corruptio optimi cujusvis peſſima.*

9. Hanc de vitæ incorruptibilis brutis conceſſæ phænomenis ſententiam ratio à priore deducens argumentorum nexum non impugnare compos eſt; quòd verò impugnet, & impugnare annitatur, ſuadent quædam præjudicia, metus nimirum conſequentiarum vel receptis Philoſophiæ ſuperficiariæ principiis, vel Theologorum ſibi orthodoxorum, & præſcriptis credendorum formulis in gregem ſubjectum dominantium, placitis & auctoritati adverſarum: quorum reſpectu ſibi ipſi oculos eruere quidam non verentur, &, ſuppreſſis animi ſenſis genuinis, dicta & ſcripta ad genium aliorum detorquere conſultum judicant. Quærent nimirum attoniti & anxii, quorſùm locandæ veniant tot animantium brutorum defunctorum animarum incorruptibilium turmæ, in ſtatu ſeparationis, & quid illis in futurum expectandum; ſed ſolliciti prius de pro-

priæ vitæ ſtatu ac loco, ac operum divinorum non iniqui æſtimatores, Optimo ac Sapientiſſimo Conditori relinquant, quid circa tales animas in ſe incorruptibiles deſtinaverit; potenti ſatis, eaſdem vel in ea principia reducere, ex quibus per actum creationis prodierunt, vel in ſtatum vindicare meliorem, eo tempore, quo omnis creatura, jam coacta ſub jugum vanitatis & maledictionis, ac ſcriptura aſſerente erecto collo anhelans reſtitutionem hominis perverſi, à maledictione, & hominis creatorem lædentis tyrannico imperio liberata triumphabit, ac unanimi ore laudes creatoris enarrabit. Nec puto, Theologis juſtæ offenſæ anſam me præbuiſſe, qui, Deum ipſum ſubinde in Sacro codice aſſumpta animantium brutorum indolis ſimilitudine in conſpectum prodiiſſe, quin imò ipſas animantium diverſi generis imagines Divo Joanni, in ſtatu beato conditoris laudes enarrantes, per revelationem oſtenſas fuiſſe, non ignorant: quibus ſanè ſimilitudinibus non exterior animantium ſtructura, ſed interioris & ſpiritualis vitæ indoles Deo & divinis appropriatur, inſulſo autem inſtituto comparationis, ſi, bruta automatico motu vivere, credendum ſit. Ut taceam leges & ſtatuta tam ſacri codicis, quàm profanorum legiſlatorum, quibus brutis de juſtitia & injuria cavetur, quæ omnia evincunt, bruta in conſpectu Dei adeò bruta non eſſe, ceu noſtri cerebelli contendit occœcata ſentiendi libido; ac vereor, ne aliquando plus rationis reddendæ, de commiſſa in bruta injuria, nobis incumbat,

bat, quàm jam credit abutentium & pessimè tractantium feritas.

10. Suspicantes verò, hæc fortè placitis *Platonicorum* & *Pythagoreorum*, transmigrationem animarum de corpore in corpus somniantium, frigidam suffundere, ac propriæ animæ causam in designanda brutorum solerti sagacitate agere velle, norint me omninò ab hac sententia alienum, licet hodiernos ejus fautores, numero sanè quam plurimos, tam atro carbone non notaverim, quàm insulsi Mechanismi fabricatores, vel delirantis prorsùs *Spinosæ* asseclas, ipsam causam primam, Deum sapientem ac omni ex parte beatum, subjectum immediatum omnium enarratarum miseriarum & turbarum substituentis, quod omnia extensa modificando animet; quo modificante nihil sanè magis miserandum, confusum & infirmum concipi posset, cùm omnium enarratorum affectuum, & dolorum sensationes per impossibile extenso ceu corpori mathematico competant, & hinc innumeris undiquaque assultibus ipsum Deum feriant. Ut taceam, quòd phrenetica hæc philosophantium turba, hujus hypotheseos illicò oblita, contradictorio conatu affirmet, Deum non destinato bonitatis & sapientiæ consilio, sed actum & coactum naturæ suæ brutis legibus agere, cùm ipsi interea, ex hypothesi modi & partes umbratiles ipsius Dei, ceu naturæ, Sapientâ & destinato consilio agere annitantur, ac studium Sapientiæ aliis commendent, etiam concessa fraude & vi ad intentum finem viam latam aperientes; quam vesaniam ho-

homine prorsùs indignam, ac vix bruti intellectus inventum genuinum, hîc in transitu notasse suffecerit, verberibus meritò non verbis castigandam, si qua castigatio in tam abjecti sensus ergastulis locum habet. Ad cœptum ergò redeuntes, dicimus, animas quarumvis rerum viventium ab initio à Deo ter optimo creatarum, per generationem, ceu concessam à creatore vim multiplicativam, primævæ creationis æmulam, ultra tamen propriæ speciei imaginem non transilientem, propagari, nec in principio omnes simul creatas esse, nec de novo creari. Modum hujus generationis, ut & primævæ creationis explicare humano ingenio non datum, nec conceptus, quos mihi fingo vel sentio, aliis intelligentibus sistere adeò integrum est, cùm dentur quædam sensuum internorum certitudines; quæ imaginationi adæquatis descriptionibus repræsentari nequeunt, ac nihilominus sua luce radiant: Sic, dum sentis te sentire, certus es de reflexo in se animæ actu spirituali, cujus tamen ideam imaginatio non percipit, & sic in aliis objectorum merè spiritualium, sensus internos immediatè afficientium, impressionibus. Rationes tamen asserti reddam aliquas iis, quibus adhuc aliquis Religionis respectus est, non contemnendas, nec rationi sanæ facilè displodendas. Apparet nimirum, tam in brutorum quàm hominum generatione characterem, tam spiritualem indolis perversæ vel bonæ, quàm mechanicum corporis, à parentibus plerumque transire in natos, cui, respectu hominis, si anima & Spiri-

tus,

tus, ab initio vel de novo creatus, ſubjiceretur, vitioſæ diſpoſitionis adhuc vacuus, immeritas profectò pœnas lueret, cùm è contrario peccata parentum in liberis, quos ex ſe genitos procul dubio ſpiritualiter infecerunt, à Deo juſto punienda ſacer codex pronuntiet. Deinde ipſa viventibus à Deo conceſſa benedictio, de augendo & multiplicando ſuo, in ſua ſpecie, ſemine, ad implendam terram habitatoribus, dicis gratia à Moſe toties repetita deprehenderetur: ſemen enim non eſt niſi ſpiritualis proſapiæ, annexum quidem communiter cortici corporeæ, ſed cujus reſpectu multiplicari vix dici poteſt; exterior quippè omnium rerum creatarum cortex, ſeu materia extenſa, neque augetur neque imminuitur, ſed alteratur tantùm & determinatur per varias vitæ & mortis revolutiones à vita, ceu ſpiritu inhabitante; multiplicato igitur non per generationem ipſo ſpiritu, nil omninò multiplicabitur, & omnia tantùm per varias materiæ externæ modificationes revolventur, nec ſemini ſuſcitando ullibi erit locus, cùm ex materia, quam vulgus ſemen dicit, corpus generandum non procedat, ſed aliunde à provido ſuæ œconomiæ ſpiritu colligatur, ſi pauciſſimum illud exceperis, quod ſemen ita putatum ab initio ſuppeditat, materiæ aliquatenus diſpoſitæ, ex quo prima ſui domicilii rudimenta & fundamenta locat ſpiritus, ſeminis potius nomine ſalutandus, quàm pauca illa inertis materiæ portio, non omninò ad efformandum corpus neceſſaria, nec etiam ſemper vitæ alicujus conſortio animata,

&

& ad germinandum apta: quod poſterius ex experientia ſat evidenter conſtat; prius autem ex generationis, quam vocant, æquivocæ, & ſine cortice corporalis ſeminis peractæ, ſucceſſu cuivis rerum naturalium gnaro patet. Quod enim modernorum nonnulli omnibus talibus productis ſemen quoddam corporale, ceu ovulum, præſupponere annitantur, frivolum eſt & experientiæ contrarium, cùm aliquando integra materiæ ſnbſtratæ maſſa in animalcula abeat: Sic totum mel, cui tempore æſtivo micæ panis triticei commiſcentur, in formicas abit; ſic caro vitulina in fruſta diviſa, & mori, quæ fructum albicantem dat, foliis virentibus & recentibus commiſta, calore ſolis adminiculante in bombyces abit, trito Italis in defectu ovulorum hujus inſecti artificio. Sic ex ſcobe corticum quercus, quibus tinctores utuntur, per incuriam ſervorum minctu ſubinde aſperſa tanta pulicum multitudo proceſſit, ut incolæ domus & circum habitantes vicini angerentur conſilio deſerendarum ædium, cujus facti teſtis oculatus ſum. Sic *Helmontius* ſenior à ſe ipſo experimento inſtitutam enarrat murium productionem, ex commiſto cum ſanguine menſtruo mulieris tritico; & alia id generis plura, tam apud hunc fide dignum, quàm alios auctores, qui Magiæ naturalis, quam vocant, congeſſerunt exempla, benè multos, ubivis obvia. Quis ſine perfricta fronte in talibus ſubjectis tot congeſta prius ovula, quot procedunt inſecta, imaginatione ſaltem aſſequi valet? Cùm, è contrario, ſi loco ſeminis corporalis ſeminificans

quod-

quoddam vivum, & ſpiritualiter activum, ex defunctis inſectorum myriadibus reſiduum tibi finxeris, tota generationis æquivocæ ratio pateat: nimirum, materiâ quadam aptâ ſubſtratâ, & ſolis radiis inſtrumentalem ignem officinæ animalis accendere paratis, ſemen ſpirituale ſibi rursùs fabricat domicilum, ac id ſua præſentia animat; nec enim ſol, nec natura, nec fermentatio ſoli debens originem vitæ ſpecificantis origo concipi poteſt, cujus actiones omnem dimenſionem mathematicam eludunt; ceu ex datis ſupra rationibus abundanter evictum eſt. Ut taceam, quòd hac hypotheſi exempla magiæ diabolicæ, ut & divinæ & naturalis, tam in ſacro codice, quàm aliis fide dignis Hiſtoricis circa productionem inſectorum pariter ac quadrupedum, allegata (quorum fidem equidem non infringet quorundam impudentium naſutulorum non tam liberè quàm lubricè ſentiendi cacoëthes) abſtruſæ poſſibilitatis velo liberentur: Magis nimirum nil aliud agentibus, quàm ut agenti vivo jam dum exiſtenti objectum paſſivum conveniens, edocti id vel à Deo, vel à diabolo, vel ſagaci experientiâ ſuffulto ingenio proprio, ſubſternant: nec enim in diaboli, nec ullius creaturæ poteſtate ſitum eſſe credo, quicquam vivi, ultra ſpeciei propriæ limites, generando producere, penes ſolum Deum reſidente multiplicandæ vitæ indeterminata poteſtate; qua omnium viventium per creationem pater eſt, quam quidem poteſtatem, nova creando, liberè adhuc exercere poteſt, ceu ſubinde ex-

cr-

ercuisse in miraculis perpetrandis constat iis, qui Numinis sapientis tanguntur reverentia; ad quam tamen non præpropero gradu confugiendum judico, quamdiu causarum intermediarum, & vitæ determinatè agentis adhuc apparent vestigia; redundante nihilominus, ob Creatoris omnibus præsentis providentiam & directionem vel generalem vel specialem, totius effectus gloria in primi moventis laudem & admirationem, penes illos ad minimum, qui non cœco impetu pravæ voluntatis, sed solicito de veritate invenienda animo rerum causas rimantur. Quicunque proinde innumeram animantium terræ diversitatem, eorundem indolem & solertiam, structuram corporis mirificè digestam, & alimenti assumti à centro ad circumferentiam mirabilem distributionem contemplamini; quicunque incolarum immensi Oceani stupenda opera, tot testaceorum, & conchyliorum affabrè facta, & omnem humanæ mentis industriam longè excedentia miramini domicilia, horumque & carnosorum contentorum ad eundem modum, à centro nimirum ad circumferentiam, factam vitalem accretionem; nolite insulsi Mechanismi somniare deliria; nolite, nescio cujus naturæ, verbis non expensis deprædicare & adminirari lusus; nolite denique sapientem & optimum Deum, quem sapientem & perfectum esse, ipsa hominibus concessa sapientia evincit, immediatum tot & tam diversarum vitalium passionum & affectuum supponere subjectum, motorem primum & ultimum, sed potiùs locum relinquite Architectis intermediis,

diis, ceu innumeris ſpiritualis vitæ propaginibus, pro diverſa deſtinantis Creatoris intentione, diverſa indole, diverſa poteſtate, & activitatis ſphærâ dotatis, ac hactenùs in ſe ſufficientibus demandata ſibi ſubire munera. Ita ſanè Creatori nullius indigo, & ſibi ſufficienti in omnibus, omniſque vitalis poteſtatis arbitro liberrimo, conſervabitis honorem debitum, ac in inquirendis rerum naturalium cauſis omnia invenietis, ſi non omninò & undiquaque pervia, ſaltem non tot contradictionum & figmentorum tricis involuta.

11. Vegetabilium regnum viventis ſpiritualis arbitrio ut æquè ſubjiciamus ac animalium, ſuadent rationes non ſuperficiariæ; licet enim vegetabilibus uno loco fixis, & de ſuo alimento per locorum intervalla quærendo non ſolicitis, ſenſuum externorum adminicula à Creatore non conceſſa ſint, vigere tamen in illis ſenſuum internorum & judicii mathematici exquiſitam indolem, figuræ, motûs eorum vitalis, accretionis nimirum & ſeminificationis directricem, perpenſa regni eorum phænomena non poſſunt non ſuggerere. Semen nimirum eorum vitale, vel ſub cortice ſeminali, vel ſine tali, terrâ exceptum, à centro ad circumferentiam motus leges orditur, automatico motui planè contrarias: ſive enim dicas, aëris incumbentis oneri, vel terræ exhalantis propulſui, ſuppoſitis certæ configurationis plantæ poris, accretionem & collectionem tam diverſorum ſuccorum, fibrarum & donorum ſpecificorum

 de-

deberi, ſemper in eodem errorum luto hærebis, & mechaniſmi leges evertes. Nam ſi aër tanto onere premit, unde plantæ in aſſurgendo tam pertinax contra prementis impetum niſus? Si exhalatio excitata ab igne centrali plantam à centro in circumferentiam attollit, unde radicum contra hunc motum explicatarum propagines? quæ eodem modo, ceu pars aëri expoſita, à centro vitali ad circumferentiam diſtribuuntur, & pro menſura trunci ac ramorum, contra vim venti figendorum, à ſapiente vita dilatantur, & profundiùs terræ implicantur. Si fortè dixeris, ex appoſitis terræ particulis quaſi compingi radices, ceu etiam quicquid fibrarum vel vaſorum continentium nomine in conſpectum venit; unde quæsò conſtans cujuslibet ſpeciei figura, odor, ſapor, & color? ſed & hoc falſum eſſe, & nil partium ſolidarum plantam ex craſſis terræ particulis fœnerari, evincit inſuper experientia: conſita enim arbor in vas, terra prius ponderata repletum, & in ingens aucta pondus, exemptaque cum radicibus, terrâ rurſùs libratâ, deprehendetur nil omninò de terra in ſui incrementum ſurripuiſſe, ſed potiùs aquam pluvialem, & partes atmoſphæræ circumjacentis hauſiſſe, ope caloris ſolaris transformaſſe, & pro vitæ ſuæ indole ſpecificis donis condecoraſſe: explicent jam nobis corpuſcularis farraginis aſſertores, qua lege motus automatici fluida & inviſibilia rursùs contrahantur in ſolida & ſenſibus obvia, & neceſſum erit illis, circa quamlibet plantam ſingularem, undiquaque prementem ſub-

ſupponere aëris atmoſphæram peculiarem, nam omnes uno onere conſtringi impoſſibile eſt, cùm quodlibet ſuum ſitum & figuram ſtatam conſervet, nec fibræ & pori plantæ ante prementem impetum fuerint, ſed demùm ex hypotheſi premendo compingantur. Quocunque ſanè particulas ſuas vertant & invertant, innumeris prementur abſurditatibus, & omne quantumvis prementium particularum onus levi vento rursùs elevabitur, unà ſublevatis totius Philoſophiæ corpuſcularis fundamentis. Ut taceam non obſcura in multis plantis vitæ extrinſecùs ſentientis indicia, affectuum ſympathiæ & antipathiæ à Botanicis ſolertibus notata phænomena, admirandam inſuper & ingenio prorsùs mathematico digeſtam quorundam, ſi non omnium, florum & herbarum ſtructuram, ſemper ſibi in ſua ſpecie correſpondentem. Quæ omnia conjunctim expenſa evincunt, vivere vegetabilia vitâ in ſe ab animata materia mathematica abſtracta & ſeparabili, ex principio intrinſeco incorruptibili, pro activitatis concreatæ ſphærâ ſentiente & intelligente, ſe ipſam propagandi ceu ſeminificandi, ad morem omnium viventium, poteſtate præditâ, ut ita ſeminis ſpiritualis beneficio in uſum hominis & reliquorum animantium perpetuetur & augeatur regni vegetabilis proſapia.

12. Mundum ſubterraneum ſcrutanti vitæ mineralium & lapidum illicò clara ſiſtuntur indicia: Creſcunt enim & nutriuntur, non per appoſitionem & conglobationem extrinſecam, ſed per motum ex centro in circumferentiam pro-

tensum, qui non potest esse nisi vitalis, & ab aliis moventibus exterioribus independens, comparatis ei omnibus æquilibrii mathematici & connexionis exterioris instrumentorum movendorum legibus. Quin solius magnetis ubivis obvia vitalis actus phænomena, evidentia pariter & stupenda, omnem dubitandi de mineralium vita licentiam menti solerti præscindunt: quæ enim ad horum explanationem *Cartesius* ex mechanismi abditis confingere, in particularum striatarum supposita atmosphæra, ausus est, adeò insulsa & nugatoria sunt, ut vix sine pudore legentium oculos dimittant, & hinc optimo jure ab ipsis ejus asseclis pro ficulneis habeantur. Moriuntur insuper jam producta mineralia & metalla, ceu compertum est fodinarum scrutatoribus & metallurgiæ addictis, abeunte nimirum Spiritu compactore, & nutritore, ac remanente, loco metalli ductilis & liquabilis, exesô cinere, nunquam in pristinam figuram ignis artificio reductibili. His, præviâ experientiâ, præsuppositis, transmutationis metallorum, tot desideriis quæsitæ & tot sibilis exceptæ, ratio à priori facilè innotescit: Illud enim quod propriam suæ molis materiam actu vitali priùs congessit, &, igne instrumentali solis & terræ mediante, digessit ac transmutavit, (ceu omnia reliqua viventia quotidiè huic transmutationi incumbere deprehenduntur) si, adjuvante naturam arte, in sua activitatis sphæra priùs exaltetur, (quæ exaltatio circa reliqua viventia in aprico est.) facilè compos erit, substratam sibi materiam

riam idoneam, qualem metalla ſibi invicem præbent, ſub ſuæ activitatis ſphæram, devorando & expellendo ita vitæ genium priſtinum, rapere, ac ſic actu nutritivo ac digeſtivo vitali deſideratum effectum producere; quòd verò tam citò in tam ingentem cibi maſſam devorando & alterando graſſari poſſit, ac in hoc reliquorum animantium actum nutritivum ac accretivum longis paraſangis ſuperare, in cauſa eſt partim ipſius vitæ mineralis in conſtanter, ſimpliciter, & æqualiter agendo determinata fixitas, partim ignis culinaris, hoc liquefactionis actu omnem reliquorum animantium inſtrumentalem ignem excedentis, circulus rapidiſſimus, partim denique cibi ſubſtrati idonea homogeneitas, tot alterationis & ſubactionis decoctivæ reiterationes non requirens, ac reliquorum animantium diverſa ciborum genera. Nec poſſibilia hic fingo, quæ actu nunquam eveniſſe deprehenduntur; licet enim tot fruſtrati famelicorum hujus ſcientiæ ſucceſſus, & funeſta bonorum dilapidatio, ut & infinitæ agyrtarum, Alchymiſtarum titulo infamium, impoſturæ inviſam & ſuſpectam hanc philoſophiæ naturalis partem non poſtremam reddiderint, conſtabit tamen rei veritas penes illos, qui, exemplis convicti & inanibus præjudiciis non detenti, perſuaſi ſunt, non illotis manibus tanti momenti ſcientiam pertractandam, cùm ipſi ſummo ac ſapienti rerum arbitro, Deo optimo, curæ ſit, arcere ab his naturæ adytis corruptæ naturæ mancipia, ſibi æquè ac aliis inde exitium

fabricatura: possidendo nimirum ac pro lubitu usurpando omnes simul corrupti seculi Deastros: sanitatem, divitias, & inde resultantia voluptatis ac honoris lenocinia, quibus vel quærendis vel quæsitis & inventis tam divinum Numen horrendum in modum quotidiè lædi, quàm ipsas mundi societates confusionis inexplicabilis barathro submergi, quin submersas jam esse, oculis non eodem poculo inebriatis videre est.

13. Denique, ut vitæ limites in immensum patentes uno circulo rursùs claudam, assero, totum terræ nostræ globum constare, cohærere, & versari actu vitæ generalis cujusdam, æquè, ac incolarum viventium, spiritualis, incorruptibilis, ac respectu movendi globi, immobilis. Id ut asseram, evincunt æquè clara, ac supra enarravimus, motus vitalis phænomena, ad nullas mechanismi leges quadrantia, ac simul evincentia, omnes reliquos, quos videmus, stellarum tam lucentium quàm illuminatarum globos eodem motus immediatè vitalis fundamento inniti, ac versari. Vortices enim, & atmosphæræ cujusvis stellæ globo substitutum à *Cartesio* æquilibrium, quo, quasi se invicem vibrantes, in suis terminis hærere putantur, figmentum est admodum jejunum & frivolum, ab experientia multoties discussum: hoc enim supposito vero, nunquam stellæ novæ apparere potuissent, sine perturbato à principio extrinseco totius universi motu; nunquam insuper colligi (quicquid in vanum ad sese extricandum etiam hic *Renatus*

des

des Cartes regerat) tam vaſta cometarum ardentium moles. Aſtronomi itidem inſigniores illuſæ phantaſiæ prodidiſſent monumenta, quibus ſubinde facta tranſpoſitio, & variatus ſitus ipſarum ſtellarum fixarum, quæ creduntur, detectus eſt, & qui hodienum adhuc unanimi ore querulo excentricitates & motus refractiones, quas vocant, admittere coguntur, falſi non una vice integris ferè Eclipſium dimetiendarum calculis, & lunæ, ſideris proximi, motum fruſtrato conatu ſub leges ſuas mathematicas undiquaque cogere adhuc anxiè annitentes. Subſiliunt nempe nonnunquam, diſpenſante Deo, tam vaſtorum orbium viventes agitatores, ut, quantùm ſine notabili ordinis totius inverſione fieri poteſt, actu vitali libero è conſueto tramite deflectentes oſtendant imbecilli Calculatorum turbæ, leges eorum eſſe fruſtraneas, niſi univerſi Conditor adhuc juſſu ſuo liberrimo moventium intermediorum phalanges in ordine contineat, & ſtatas motus leges obedientibus præſcribat. Ut taceam, quòd ipſe *Carteſius*, ſuæ hypotheſeos mendicitatem miſerandam prævidens, non auſus fuerit, totius univerſi machinæ extenſæ adſcribere figuram determinatam, vel ſaltem extenſionis terminos, ne nimirum inconſultò volantibus, quos ineſcare ſuis figmentis geſtiebat, & quos temerè credere potiùs, quàm philoſophari optabat, illicò aperiret abſurditatis horrendæ terminos, & ludicræ philoſophiæ finem ridiculum: nam quacunque figura definiiſſet extenſi terminos, cruſtâ ſimul ſolidâ tota ma-

china circumdanda fuiſſet, ad continendas in motus legibus ſphæras extremas, altera ſui convexi parte nequaquam ampliùs preſſas. At quis hujus cruſtæ & orbis continentis primus compactor fuiſſet? forte cruſta alia, & ita in infinitum? in Deo ergò tandem ſubſiſtendum fuiſſet miſero mundi ex particulis conflatori *Cartesio;* &, ſi non omninò, ceu vanam, ex particulis motus mathematici legibus coëuntibus, mundi fabricam, ejus aſſeclis proſcribere libuerit, nil ſanè reſtat, quàm ut ſtatuant Deum, poſtquam omnes atomos cruſtâ ſolidâ ad conſervandam motus cohærentiam obduxiſſet, primum motum, neſcio, quo contactu, ſuppeditaſſe particulis, quarum poſtea continuato motu & contritu corpora diſtincta ex menſura æquilibrii emerſiſſe, *credibile ſit:* nam niſi credas, captivatis rationis oculis, dices credibilius eſſe, in particulas confuſas abiiſſe philoſophantium talium mentis acumen, quod nec materiæ extenſæ, ac ita in ſe finitæ, fines aſſerere, nec motum vitalem & ſpiritualem, premente utrinque conſequentiarum hypotheſin ſuſceptam evertentium cumulo, admittere audet. *Tantæ molis erat tam ſtultam condere molem.* Sed, miſſis his quisquiliis, figamus mentem ſolidiori fundamento, ac intuentes, cum omnibus univerſi orbis orbibus, globum noſtrum terraqueum, nullo ſuſtinente corpore in libero aëre ſuſpenſum, motu locali, tam diurno circa axem, quàm annuo intra tropicos revolutum, motu interno, ope ignis ſui centralis, (cujus flammivomi montes quaſi fuli-
gi-

ginum ſpiracula ſunt) aquas per quaſi arterias (ſcaturigines nimirum internas) & venas, (fluminum undiquaque confluentium ramos & truncos, ad priſtinum principium remeantes) continuò circulantem, ac in commodum incolarum viventium irriguos aëris vapores elevantem; ſtatuamus potiori ratione, vitali hæc omnia deberi poteſtati, à mole quam animat independenti, quàm, neſcio cujus, oneris impulſui: nam aërem ſeu atmoſphæram noſtram non premere, ſed ſingulis momentis ſursùm potiùs tendere, exhalando à terra, attenuante humores igne centrali, ac tandem à radiis ſolaribus prorsùs diſſipari, evincunt altiſſimorum montium cacumina, in quæ aſcendentibus tam reſpiratio, quàm antliæ pneumaticæ, & pyrotechniæ phænomena, ob deficientem & rareſcentem aërem, tandem deficiunt, ipſis aëris, (vel condenſati vel rarefacti, & in tantum vel cedentis vel contranitentis, nunquam autem onere quodam ſubjectis incumbentis) meteoris ordinariis, nubibus nimirum, ventis, pluvia & fulguribus longè infra pedes relictis. Et ipſæ nubes in aquam jam condenſatæ, ac per conſequens graviores omninò aëre ſubjecto, impetu aſcendentis exhalando aëris quaſi ſuſpenduntur, nunquam prævalentes onere ſuo, niſi vento turbinoſo vi quaſi detrudantur, vel ulteriùs concretæ in majores guttulas diffluant. Quicquid proinde movetur, movetur actu vitali, vel immediatè unito, & ſibi proprio, vel aliorum viventium fortiorum impetu, quibus per interceden-

tia instrumenta copulatur. Omnes verò has vitas connectit, ac activitatis leges ponit *Vita prima* in se semper beata, ob infinitam ferè rerum creatarum, figurâ, motu & vitæ viribus diversarum, multitudinem, *infinitè sapiens & intelligens*, ob concessas & sustentatas omnium vires *infinitè bona*, ob continuatum omnium ordinem, & primævam productionem *infinitè potens*, & hinc omni laude & devotionis vinculo digna, omniumque vitarum desideriis, si æternùm felices esse velint, apprimè appetenda.

Dicta hactenus evincunt, *sanitatem vitæ esse affectionem, juxta injunctam sibi à Creatore legem suis actionibus tranquillè perfungentis, & conquæsito cibo sua desideria explentis; morbum consistere in perturbatis vitæ sensibus & affectibus, hinc demandata sibi munera subterfugientis, & retrocedentis; corpus autem, ceu extensum externum, neque sanitatis neque morbi immediatum subjectum esse posse, quia in se non est sensile, nec cadaver animâ orbum unquam Medicinæ objectum fuerit: Mortem denique, seu resolutionem, solius esse extensæ molis, quæ, cessante à sua functione vivente incorruptibili, communis aliorum viventium præda fit, & per putrefactionem distrahitur, nonnunquam etiam à vivente universali totius globi tam diu compacta, & viribus congenitis integra conservatur, donec commodùm vel in alimentum vel in medicinam, vel in usum Oeconomicum cesserit reliquis altioris conditionis animantibus.* Quæ omnia sequente capite distinctiùs explanata oculis legentium sistentur.

CAP.

CAP. II.

De Homine Morbis afflicto ac Medicina juvando, ceu de genuina Morbi & Medicinæ origine, eorumque agendi & afficiendi indole.

1. Deus, solus sibi sufficiens & ex sese beatus, non voluit nec potuit producere creaturas sibi ipsis sufficientes, ad explenda vitæ concessæ desideria; dependere ergò omnes voluit partim à se ipso, tamquam omnis bonitatis & perfectionis fonte, partim à creato vitæ pabulo, ut mutuo indigentiæ vinculo eò arctiùs unirentur. Creavit hominem omnium visibilium creatorum quasi complementum & compendium, ad sui imaginem: id est, instruxit eum vitâ ipsius Dei beatitudinis capace, & desideriis suis summo bono, ad explendam & saturandam famem, affixa; quam vitam divinarum rerum periti antiquissimi dixêre mentem, spiritum mentis, animæ inferioris quasi principem & moderatorem; sed & animâ in creaturas reflexâ, & in iis vitæ affectus saturante, instructum esse voluit, ut duplici vitæ fundo, sibi invicem objectorum impressiones communicante, ad instar bifrontis Jani inter Deum & creaturas constitutus tam creaturas, quàm creatorem cognosceret, ac ex utraque parte in summi Boni admirationem & amorem raperetur. Sed, ut & se ipsum tanquam indigentem, & undiquaque ad

ad beatè vivendum dependentem intueretur, ac quid inter causam primam & res creatas intersit, sensu experiretur, tentandus erat quadam fame seu indigentiæ sensu, ut hinc humili devotione Patri beatifico subesse disceret, ac ejus magnitudinem profundiùs veneraretur. Subtraxit ergò menti ad tempus Deus ter optimus suæ ipsius beatitudinis influxum & sensum, dato simul interdicto, ne vitæ ad Deum fruendum creatæ desideria ad cibum animæ caducum inverteret; sed fidei potiùs & obedientiæ oculis in beatitudinis & amoris fonte fixis de summo bono nil nisi bona speraret & crederet; ast moræ exiguæ pertæsa, & Diaboli, jam dum eodem modo à Deo aversi, suggestionibus auscultans, deflexit desideriis, abjecta fide & spe, à vitæ beatificæ præcepto, ac per sensus animæ subjectæ ad suavitatem rerum creatarum divertens, sibi jam satis prospectum esse credebat; sed illicò, hoc cibi genere famem immensi desiderii non tam expleri, quàm ulteriùs incendi sentiens, se nudam & egenam conturbatis oculis aspiciebat, variisque hinc timoris, spei, iræ, nauseæ, ac ratiocinantis phantasiæ furiis exagitata, eâdem spiritualis veneni labe animam sibi subjectam & annexam corripuit, quæ hinc, ab officio sibi destinato quasi retracta & in confusionem adacta, domicilium proprium & officinam nutritivam variâ turbâ fœdavit, ac, succrescente demum per carnalem generationem ignorantiæ & erroris, ut & inimicitiæ & libidinis colluvie, ab agentibus & objectis extrinsecis ulteriùs lædi ac per-

perturbari cæpit, ſubſequente tandem tali impedimentorum variorum nauſeâ, quæ deſiſtere prorsùs à functionibus, & corpus fœdatum derelinquere, animam impellit; hinc conſequentiâ naturali, mors tam corporis quàm mentis & animæ enata eſt, quâ prius in ſua principia reſolvitur, ac ab aliis agentibns vitalibus rursùm rapitur, ſorte magis toleranda & ſenſuum turbis experte, poſteriores verò, anima nimirum & mens ſenſuum ac deſideriorum ſubjecta immediata, &, ceu ex ſupra dictis patuit, incorruptibilia, in ſtatum perpetuæ famis, anxietatis, metus, ac iracundiæ, conjectæ, apprimè intolerabilis ſortis miſeriam ſentiunt, ac inter Deum & creaturas mediæ hærentes, & utriuſque cibi delectamento orbatæ, ſuarum tranſgreſſionum meritas pœnas luunt, nil nimirum vindictæ portantes, quàm quod ſibi ipſis fabricarunt: nec enim tortoribus extrinſecis, & ficto inferni loco, ut & irati Dei fulmine opus eſt, ubi tot cruciatuum tormenta, conſequentiâ prorſùs naturali, ex ipſius vitæ indiſſolubilis & incorruptibilis fundo ultrò ditiſſima ſcaturigine propullulant; licet in miſero talium conſortio objecta ſpiritualia extrinſeca nunquam deerunt, quibus innata affectuum & ſenſuum rabies ulteriùs exaſperari & concitari queat.

2. Hæc Religione aliquâ imbutis non omninò videbuntur abſona, nec ſacris teſtimoniis contraria, ſed ſtultæ ſapientiæ antiſtitibus & Philoſophis vagis videbor multa narraſſe, nil verò probaſſe; verùm, huc revocatis, quæ de

Vi-

vitæ ipſius perennitate rationali argumentorum nexu ſuprà evicta ſunt, & perpenſis, quæ adhuc quotidiana ſuggerit experientia, cui nimirum & ſtultos demùm aſſurgere oportet, ad minimum concedent, potuiſſe lapſum, & hunc ſubſecutas miſerias modô recenſitô in mundum introduci, nec abs re eſſe, aliquô futurorum metu ſuſpendi illum, qui caducis inhiat, & per religionis veræ Chriſtianæ ſubſidia ſeparatam ab animæ connubio ſenſuali, verbi divini efficacis & penetrantis ope, mentem, nondum cibo & delectamento concreato junxit, ubi ipſa anima inferior, mentis quaſi domicilium, nexu reciproco felici ciborum commutatione, poſt exceſſum è corpore, æternæ beatitudinis particeps redditur. Vident nempe, eâdem corruptionis methodo quotidiè adhuc animam à mente ulteriùs corrumpi & in errorem conjici; vident, affectus & perturbationes ſenſuum ſpiritualium ſuperiorum nexu indiſſobubili vitam animalem affligere, humorum circulum vel concitare nimiùm, vel ſiſtere, pro iræ, amoris, lætitiæ, ſpei, timoris, odii, invidiæ, & triſtitiæ indole; vident eouſque procedere ſæpiùs harum ſpiritualium confuſionum procellas, ut anima ſuarum functionum naturalium prorſùs oblita ac ab officio unô impetu quaſi abrepta, mortem ſubitaneam corpori inducat, vel etiam machinatione deſtinati conſilii manus violentas ſibi ipſi inferat, & vel ferro, vel veneno, vel præcipitatione & ſuffocatione, fata ſuprema ultrò accerſat: **Hæc videntes, videant ſimul, niſi**

con-

consultò cœcutire gaudeant, spiritus in corpus agendi facultatem extra hominum sanorum controversiam esse, vel, ridiculo conatu, quamlibet extensi particulam sensilem, cogitantem, vivam, & affectuum non extensorum & non commensurabilium subjectum primum & immediatum statuant. Videant insuper, has turbas, quæ miseros homunciones longè infra sortem bestiarum dejiciunt, non posse non oriri, nisi ex ampliore & intensiore, sed perverso fundo vitæ spiritualis, quæ continuò quærendo, & nunquam satura errando, tali tyrannide vitam animalem premit, &, genuinô destituta pabulô, immani appetitu in ejusdem cibum grassatur, nec præsentibus bonis, quæ eligit, contenta, sed rabiosâ fame nunquam non ulteriora anhelans, nec de futuris, propter extravagantes ratiocinationis terminos, unquam secura, & hinc amittendorum horrendo metu, & acquirendorum desiderio se semper excrucians: cùm è contrario bestias, in eligendis præsentibus bonis & fugiendis præsentibus incommodis sat sagaces, & ad stuporem aliquandò rationales, tali affectuum tragœdiæ non expositas videamus, & hinc nec tot morborum insultibus obnoxias. Videant denique, præcepta Christianismi, quæ mentem Deo rursùs conjungunt, & caduca vilipendere docent, vel vitæ tantùm temporalis beatitudinis ergò amplectenda, & exosculanda esse homini sano & genuino Philosopho; ut nimirum à vitæ temporalis carnifice indefesso liberetur, & brutorum ad minimum sorte prosperâ

perâ gaudere valeat; ac desinant tandem stultitiæ notam inurere illis, qui consultæ & spontaneæ insaniæ vincula exuere, ac animô inconcussô quosvis casuum assultus excipere annituntur, vel hoc unô totô perversorum grege beatiores, etiamsi videantur vitæ animalis infensi destructores, ac blanditiarum sensuum externorum iniqui contemptores: flocci enim sunt externorum malorum tela, ubi mens veri & adæquati desideriis suis boni sensu exultat, & animæ phantasias suavi jugo moderatur, dum non ampliùs tanquam famelicus corrivalis furtivis rictibus offam carnalium illecebrarum illi præripere annititur; sed potiùs suæ sufficientis beatitudinis gustu communicato ad altiora eandem erigere contendit.

3. Investigatâ ita causâ omnium primâ, ob quam in manus Medici incidendum fuit miseris, descendamus nunc ad alias intermedias, visuri, quot modis & quot objectis vita animalis possit turbari, & ita morbis affligi. Præter ergò hostem illum domesticum, perversam nimirum & à genuino cibo aversam mentem, cui anima nexu indissolubili jungitur, & cujus indomita tyrannis morborum sæpè incurabilium mater est, etiam ab aliis objectis spiritualibus immediatè sensus internos afficientibus turbari ac lædi posse animam, rationi pervium est, & veritati historicæ congruum. Sic cùm unâ nocte, feriente Angelo Domini, tot millia Assyriorum prostrata esse legimus, concipiamus saltèm, potuisse ferientem sine ullo objecti externi phan-

tasmate;

tasmate, excitatâ per sensus internos terroris & metus confusione, animam attonitam à functione animali suspendere, ac ita mortem corporis accelerare: ad eundem modum, quo, per sensus externos inducto subitaneo terrore & metu, quàm plurimos exanimes concidisse experientia docuit, & adhuc subindè concidere docet. Et sic nec absurdum nec de nihilo reputemus, cùm in Historia Evangelica spiritûs ægritudinis, quo infestabatur muliercula quædam, fit mentio, aut cùm corporaliter à Dæmone, dispensante Deo, obsessorum enarratur miserrima conditio: licet enim nugatoria quorundam protervitas, falsâ & furiosâ penè hypothesi, *Quòd spiritui in corpus agendi nulla sit potestas*, in vertiginem acta, hæc sugillare & evanida reddere non dubitaverit, nil tamen magis rationi sanæ convenit, quâ nulla agendi & movendi potestas, nisi prorsùs spiritualis, deprehendi potest per totum universum, imò, ceu capite tertio ulteriùs evincemus, ne ipsa quidem extensorum localium existentia, cohærentia, & figura determinata, sine immediato concursu substantiæ ab extenso diversæ, inveniri. Læditur deinde anima, & morborum sensu corripitur, per objecta externa, in sensus animæ ad exteriora reflexos incurrentia; quæ objecta sensu communi ac rationis libramine simùl suscepta, & inde aliquandò ipsam mentem in confusionem agentia, denuò duplicem præbent morborum occasionem, irritatâ ac læsâ animâ tam per reflexos ad extra sensus vitæ suæ proprios, quàm per descendentia præsidentis

mentis confuſa phantaſmata. Primarium verò omnium objectorum externorum, & cauſarum morborum occaſionalium, ipſa eſt machina, animæ viventis & ſentientis domicilium: id enim cùm jam in utero matris mirâ diligentiæ ac ſapientiæ applicatione ipſamet exſtruxerit, variis receptaculis, & vaſorum continentium apparatu mirifico ornarit, variis denique ſuccis ad elaborandum vitæ pabulum ditarit, ac ita in omnibus ſuo bono temporali proſpexerit, mirum non eſt, ſi quid in tali officina turbæ excitetur, & per agentia adventitia ordo rumpatur, animam doloris, nauſeæ, triſtitiæ, & metus ceu anxietatis ſenſu exaſperari, ac omni conatu, recollectis viribus & ſedato affectu, obſtacula infeſta amoliri; quæ hinc eſt ſui ipſius medicatrix optima, imò ferè ſola: cùm, eâ ceſſante ab officio, omnis Medici conatus fruſtraneus ſit, utpotè cujus ars ſaltèm verſatur in eo, ut blandioribus & congruis objectis vitam turbatam demulceat, ac, ſedato ita rursùs ſenſûs infeſti impetu, eandem ad reſarciendum damnum illatum & redintegrandum officinæ ordinem, invitet & excitet. Ita enim ſtatuere oportet eos, qui animæ & vitæ ſenſu orbato corpori per medicamenta rurſùs erigendo & in ordinem redigendo nullam ampliùs operam locant; convicti in tantum, corpus qvà tale, nunquam fuiſſe Medici objectum reſtituendum, & ſic nec ſubjectum immediatum morborum averruncandorum, qui morbi ſine ſenſu nulli ſunt. Senſus verò, ceu ex dictis abundanter inclaruit, immediata affectio
eſt

est subjecti viventis & in se incorruptibilis, & hinc ægrum in se istud solum dici poterit, quod nunquam resolvitur ceu moritur; licet, si quibusdam statutum maneat, inordinatam machinæ corporalis dispositionem morbi nomine insignire per figuram loquendi metonymicam, nulli de phrasium & vocum licentia litem movere intendam; ea enim dispositio est vel occasio & causa procatarctica morbi producendi, vel fructus & effectus perturbati affectus & morbi jam producti, nimirum vel introducta ab agente extrinseco importunè feriente & subrepente, vel causata ab anima ipsa in turbine sensuum inordinatorum ab officio sibi naturali cessante, &, sese quasi subtrahendo, confusioni motus circularis locum cedente.

4. Velim hæc, sine præjudicio & nauseâ sibi soli sapientis genii, perpendantur à Viris, ex quorum re est, non alienis & commodatis oculis naturæ viventis arcana scrutari, ausim enim tùm mihi promittere, neminem nasi emunctioris reperiri esse, qui non fateatur, sensationem materiæ extensæ tribuere, esse aliquid ingentis mysterii credere, & verbis asserere conceptus, quos ratio nunquam deprehendet cohærentes & reï intellectæ adæquatos. Desudarunt, ceu notum est, multi tam ex pristinis quàm modernis, huic nodo solvendo gladium fabricare, sed frustrà, & neque aliis neque sibi ipsi, si fatendum sit quod sentiunt, alicujus probabilitatis speciem relinquentes. Inter hos propiùs scopum feriens sagacissimus & solertissimus rerum

indagator *Helmontius* ſenior, animæ, principaliori itidem ſedi ex ſententia præcedentium, licet alio in corporis loco, juxta hypotheſin affixæ, ſubordinavit adhuc vitam quandam mediam, ceu ſpiritum, ſoli functioni naturali intentum, quem, traductô ex *Theophraſto Paracelſo* barbarô vocabulô, *Archæum* dixit, ac huic demandavit pleraſque officii partes, quas aliis, ſpiritibus ita dictis animalibus & vitalibus vindicare, placuit; ſed cùm indefinitum reliquerit, cujuſnam proſapiæ ſit *Archæus*, an ex vitalium incorruptibilium numero, & in ſe ipſo intelligens, quia ſentiens, & cur non potiùs ipſam animam tali muneri aptam agnoverit; aut, ſi *Archæus* non ſit ſubſtantia intelligens & incorruptibilis, in ſpiritibus animalibus, ſecundùm veteres, idearum ſenſualium receptaculis, non acquieverit, (cùm præter neceſſitatem agentia & entia multiplicare nunquam liceat) meritò iſtud, Archæi, novi fabricatoris, munus, obſcuritatis velo involutum, à pleriſque neglectum eſt; nobis tamen occaſionem dedit, ulteriùs in indolem rerum vitalium inquirendi, & eruendi axiomata certa, quibus ſphæræ activitatis eorum perennitas, incorruptibilitas, & materiam extenſam movendi ac determinandi facultas in apricum producitur, & ſimùl evincitur, quamlibet vitam creatam, in ſe ipſa licet perennem & incorruptibilem, poſſe eſſe morborum, ægritudinis, ſenſuum adverſorum & turbatorum ſubjectum immediatum, nec animam hominis, ut ab ægritudinis ſenſu affligi poſſit, opus habere tur-

barum

barum concitatore intermedio, Archæo, juxta *Helmontium*, idearum dolorificarum & affectuum perturbatorum ſubjecto ſuſceptivo & ſuſcitativo. Sed ſuſpicor adhuc, reſpectu familiæ brutorum, Viro ſagaci, peregrino Archæi vocabulo ludere, conſultum viſum fuiſſe, ne brutis apertè tribuendo vitæ & animæ incorruptibilis fundum, fortè quibusdam hæreticus vel injurius in ipſam humanam naturam videretur; dum interea barbaro Archæi vocabulo buccinatores hæreſium, & criticos irritatos incertos ſuſpendit, audientes quidem, ſentire & affectibus concitari poſſe Archæum, ſed neſcientes, unde iſtud animal venerit, nec quorsùm per mortem tendat, aut quâ ratione in reſolutione materiæ extenſæ, ſenſus & affectus non extenſi perire, vel ſuperſtites eſſe, dicendi ſint.

5. Sed ad inveniendam ſenſationis diverſitatem, ejuſdem animæ in eodem corpore, viam aperiet finis ultimus œconomiæ animalis, quærenti rationem: *quare animæ injunctum ſit, tale volvere corpus, & tanto apparatu ingeſtum cibum alterare*, ex ſuprà tactis jam penitiùs aperiendus. Nempe, cùm ex ſapientiſſimi Conditoris conſilio animæ hominis injunctum ſit, ſuos ſenſus æquè ad extrà reflectere ad cognoſcendas creaturas viſibiles, ac ad intrà, ad communicandum cum incolis mundi ſpiritualis & incorruptibilis; brutorum verò animæ, ſaltèm per ſenſus externos quærere proficua & fugere noxia, præſidente objectis ſenſualibus ſenſu com-

muni & rationis, ſuam ſphæram non excedentis, judicio; & verò ſenſibus iſtis non tantùm rerum ſenſualium cortices & duram ſuperficiem, ſed ſimùl effluvia atmoſphæræ cujusvis ſubtiliſſima, virtutum congenitatum vehicula, penetrare, iiſque quaſi conjungi neceſſum fuerit, ad odoris, ſaporis, pulchritudinum, colorum & ſonorum in communi orbis atmoſphæra excitatorum differentiam hauriendam; veſtienda fuit anima ſentiens ſubtiliſſimâ quadam & lucidâ orbis continuè circulantis atmoſphærâ propriâ, in quam ſubtilia aliorum objectorum viſibilium effluvia, per concurſum obvium, colligerentur, miſcerentur, atque ita animæ undiquaque præſentis obtutui & tactui ſubjicerentur, ac diutiùs ſenſui dijudicanti obverſarentur. Hujus atmoſphæræ, ceu immediati vitæ animalis ſtabuli, ergò, tota machina corporea erigenda fuit, ut nimirum in hâc officinâ per varios decoctionis & exaltationis gradus, ex aſſumtis cibis ſubtiliſſimum & luminoſum quodvis colligeretur, & ſequeſtratis corticibus, in circulum hujus agitatæ atmoſphæræ eveheretur: hinc eſt, quòd anima, ſuæ indigentiæ & emolumenti gnara, minùs ſentiat & offendatur in locis officinæ ignobilioribus, quàm in iis, ubi ultima, & proximè colligendæ tali atmoſphæræ apta, fit concoctio, & puri ab impuro ſequeſtratio: Sentit ergò anima in toto corpore; ſed ſentit apprimè & irritatur in nervis tanquàm propaginibus officinæ nobiliſſimæ, cerebri & ſpinalis medullæ, in qua officina, ob id ipſum tam firmis oſſium munimentis undique

à provida ſibi anima concluſa, proximè colligitur, & per nervorum canales toti corpori, præprimis tamen ſenſuum organis, diſtribuitur quinta omnium conſumtorum, ceu vocant, eſſentia, aliis ſub nomine ſpirituum animalium celebrata, à circulo hujus atmoſphæræ rapienda, & tandem cum fluidioribus reliquis diſſipanda: hinc eſt quòd plùs, imò pro conſtitutione temperamentorum quatruplo vel quintuplo plùs ciborum ingeſtorum inſenſibiliter evaneſcat, quàm quod in aucto ſua mole corpore, & in collectis recrementis, ſubducto calculo, invenire eſt: hinc denique eſſe puto, quòd, (ceu exemplum his terris in juvene ruſtico Stolpenſi datum) per longum temporis tractum dormitantes, ob minùs concitatum ignis culinaris ſuæ officinæ animalis circulum, cibo non tantoperè indigeant, cùm anima à ſenſibus exterioribus vacans per reſpirationem ex aëre ſufficientem uſquequaque occultum vitæ cibum recolligere, & partibus indigentibus diſtribuere etiam naturaliter valeat; quanquam ſupernaturali Conditoris diſpenſationi ubique locum relinquam. Quæ quidem reſolvendi & in inviſibilem atmoſphæram diſſipandi facultas in quibuſdam viventibus tanta eſt, ut ignis culinaris rapidiſſima in combuſtibilia reſolvenda agendi virtus vix æquiparari mereatur, utpotè plùs recrementorum viſibilium relinquentis, quàm ignis vitalis, humidô adhuc vinculô quaſi captus. Adhuc fruitur aurâ ſenex Octogennariô major, civis Amſteſtelodamenſis, vir probatæ fidei & boni amantiſ-

tiſſimus, qui per tringinta ferè annos benè ſemper eſuriens, & paſtus benè cibis ſolidis, proſperâ uſus eſt valetudine, in corpore macilento quidem, ſed admodùm agili, nunquam, niſi ordinariè 20. diebus, aliquando etiam 30. elapſis, aliquid fæcum alvinarum deponens. Fabulas fortè narrari dicerent plures, niſi facti veritas teſtibus vivis quàm plurimis deſideranti innoteſcere queat pariter, ac ipſius decoctoris tam ſtrenui confeſſione fide dignâ. Hæc verò debitè conſiderata rursùs dant intelligere, quàm inſtabilis motûs lex ex configuratione ſuperficiali materiæ extenſæ reſultet, quæ à viventibus quotidiè in mille figuras diſcerpitur, & mille modis determinatur: ex ſolidis nimirum fiunt fluida, ex fluidis ſolida, ex inviſibilibus viſibilia, ex gravibus levia, ex levibus gravia, pro indole & diſpenſatione vitæ incorruptibilis, materiam inertem modò compingentis & colligentis, modò extenuantis & diſſipantis, adeo ut nil tam inſtabile moliri queat homo ſapiens, quàm particulis ſtabilem vindicare velle figuram, &, ex determinatâ figurâ primâ, prima confingere corporis elementa, & motus leges. Ut taceam, quòd nec ullius figuræ determinatæ ratio concipi poſſit, (ceu ex ſupra datô, reſolutionis, mechanicè cohærentis corporis, exemplô innotuit, & infrà ampliùs innoteſcet,) ſine præſuppoſitô immediatô & immateriali hujus figuræ auctore & opifice.

6. Poſitô ita fundamentô generali; certô tamen & rationi ſanæ perviô, morborum ex ſenſa-

ſatione vitæ dependentium, planâ viâ deſcendemus ad ſpecialiores ſenſationis malè affectæ modos, quos in certas claſſes diſtribuendi, & indubitatis, non conjecturalibus cauſis proximis occaſionalibus jungendi rationem ſuppeditabit officinæ animalis anatome, non ſuperficiaria & circa vaſa hærens, ſed, tentatis contentorum interioribus, abditum animæ œconomæ munus ope ignis ſoli exponens. Anima nempe, ut ultimo fine à Deo ſibi deſtinato potiatur, aſſumpta alimenta arte mirifica diſſolvit, alterat, ſeparat, & exaltat, ope inſtrumentorum variorum & vaſorum ſapientiſſimè diſpoſitorum, ut & ope cujuſdam flagrantis & vivâ flammâ triumphantis ignis, liquores in circulum agentis, & ſibi ſubordinata ſolventia humida quaſi animantis. Cibus ita ore aſſumptus, & maſticando ſalivâ fermentante imbutus, ventriculum ſubit, iſthic ulteriùs, concurrente fermentativô ſuccô acidô, in cremorem convertendus, ſuffundente calorem culinari flammâ, ex corde in ſanguinis rivulos dilatatâ, & totum corpus calefaciente. Ex ventriculo deſcendens per pylorum in inteſtinum duodenum, novâ animæ artificis curâ, perfunditur duobus liquoribus ſibi contrariis, & hinc, factâ efferveſcentiâ, ſeparationem puri ab impuro, liquidi à ſpiſſo per præcipitationem molientibus: bile nimirum, alcalinæ prorsùs & acidum obtundentis naturæ, & ſuccô pancreaticô ſubacidô, qui bini liquores per ductus ſuos peculiares, ſatis conſpicuos, ex officinis, ubi colliguntur & præparantur, ad duodenum derivati, co-

euntibus tandem canalibus, ut plurimùm per commune orificium ſuâ valvula munitum, effunduntur. Sequeſtratis ita novô hoc motu recrementis terreſtribus, humido tamen adhùc innatantibus, novô vaſorum apparatu œconoma purius & liquidius perfiltrum tenuium venarum lactearum colat, colatum in ductum thoracicum rursùs colligit, maſſæ ſanguineæ porrò commiſcendum, & incumbente flammâ culinari rubro colore tingendum, ulteriùs perficiendum, circulandum, & factâ jam novâ filtratione, priori, ratione finis, prorsùs contrariâ, per compactas & arctas renum glandulas à ſero & aquoſitate nimiâ repurgandum, ut remanens in debitâ conſiſtentiâ rubicundum ſanguinis magma concentratiores & efficaciores ſuccos officinæ nobiliſſimæ ſubminiſtrare valeat. Hinc ſubtiliſſimum, & à terreſtribus pariter ac ſeroſis partibus defæcatiſſimum, per anguſtiſſima & innumera arteriolarum oſtiola, in officinam cerebri & cerebelli, & ex his derivatæ ſpinalis medullæ, exprimitur, iſthic in ſubſtantiam luminoſam convertendum, & per multivarios nervorum canales omnibus partibus diſtribuendum, præprimis tamen illis organis, ubi anima exquiſitiſſimæ ſenſationi indulgens copioſiore & concentratiore atmoſphærâ lucidâ opus habet, ad ſubtiliſſimas rerum objectarum dotes, ſimili atmoſphærâ circulantes, tanquam ſimili magnete captivandas; hinc eſt, quòd quædam animalia, quibus ob temperamenti & digeſtionis vires iſtud luminoſum abundantiùs colligitur, noctu lucentes

ocu-

oculos ostendant, veluti feles, leones, lupi, lynces & alia plura, etiam ex volatilibus, sibi ipsis sufficientem, ad cognoscenda objecta propinqua, lucis atmosphæram suppeditantia, cujus conditionis inter homines quoque aliquandò reperire est; & mihi aliquoties accidisse memini, quod *Scaliger* de se & aliis memorat, ut, effusâ per oculos luminis atmosphærâ, sub nocte densissimâ scripta propiùs admota legere integrum fuerit: quin omnibus asserti veritas, affrictu vel plagâ oculos agitantibus, illicò innotescet, dissiliunt nempe tum scintillæ visibiles, luminosorum spirituum animalium indices. Demùm, ne nimiùm hoc nobilissimum ultimæ concoctionis productum dissiparetur, & extra corporis convexum in auras funderetur, præcavit sibi œconoma, non tantùm solidissimâ inductâ cute & huic subtextâ membranâ carnosâ, quarum fibris nervorum texturis non absimilibus, effluvium nimium sistitur, & inde ipsa hæc tegumenta sensus exquisitioris stabula deprehenduntur; sed & glandularum, succô acidulô tumentium, & hinc ad illaqueandum istud luminosum aptarum, per concavum corporis dispositâ custodiâ, à quibus collectum & lymphæ admixtum in communem lymphaticorum vasorum truncum, ductum thoracicum, & ex hoc in massam sanguinis rursùs, reciprocâ circulatione, derivatur. Unum enim pancreas si exceperis, primam nimirum acidi colligendi officinam, & hinc huic functioni primariò destinatum, omnes reliquas glandulas, tam conglobatas, quàm conglomeratas, glan-

glandularum nomine præcisè gaudentes (de capſulis enim renalibus, renibus, teſticulis & mammariis ſermonem non eſſe, facilè deprehendent non iniqui critici) auſim aſſerere, primariò huic capturæ volatilis luminoſi eſſe deſtinatas, ipſam etiam glandulam pinealem, & pituitariam: diſpoſitæ enim deprehenduntur ſemper, vel ubi magnô nervorum concurſu ſenſoria vigent, & luminoſum iſtud valdè diſſipatur, ceu in capite multivaria glandularum oſtendit congeries, vel ubi ob motus & ardentis culinaris flammæ vehementiam exhalatio viget, ut in thoracis concavo thymus, & in abdominis, reſpirationis & deſtributionis actu variè viſcera ſua volventis, ſpeluncâ, meſenterii & omenti uberrima glandularum ſeges.

7. Hæc culinæ animalis, rudiore & feſtinante penicillô, quò ad actus concoctionis primarios, facta delineatio ulteriore demonſtratione aſſertorum non indigere videbitur lectoribus, non tam ſuis præconceptis, quàm veritati auſcultantibus. In gratiam tamen eorum, qui non niſi tactilia admittunt, demonſtrabo ſubſtratas hypotheſes experimentis ſenſibus obviis, & hinc fidem modernorum philoſophorum apprimè merentibus, ut poſtmodùm ex certis fundamentis certior evadat morborum cauſas demonſtrandi methodus, jam à nobis aperienda, & à quovis feliciter calcanda, cui ſalus decumbentium curæ eſt. Ignem flammantem, concoctionis præcipuum inſtrumentum, evincit non tam actualis per totum corpus diffuſus calor, quàm ſubitanea

nea ab ingestis spiritibus inflammabilibus hujus caloris intensio, imò ab assumtô nimiô spiritu vini (quòd multoties vidisse contigit in Germaniâ, nec puto hic locorum prorsùs insolitum fore) stygiæ flammæ ex faucibus eruptio, multâ adstantium curâ, infusô nimirum lacte, & sepulturâ talis inconditi bibonis subter fimetum collotenùs factâ, restinguenda. Qui dicent, potuisse motu fermentativo spiritum vini in stomacho vel faucibus accendi, demonstrent tale quid exemplô analogô, hactenùs nobis, utut non ex decoctorum numero ultimis, incognitô. Novi enim spiritum vini licet rectificatissimum, vase apertô prunis candentibus, non flammantibus, impositum, non conceptâ flammâ, in auras abiturum, flammâ verò vel è longinquo admotâ, illicò simul conflagraturum: non latet equidem, olea distillata calidiora, affusa concentrato spiritui nitri & vitrioli, flammâ conceptâ evolare; sed quis tantæ virtutis fermentum & acidum igneum in humidâ prorsùs & fluidâ contentorum substantiâ deprehendi posse credat? nec latet, fœnum vel stramen non adeò aridum collectum, per fermentationis resolutionem in cineres & flammas abire; sed in corpore, vel humidô, quale animalis est, vel prorsùs siccô, igni suscitando per fermentationem non est locus; cùm spiritus inflammabilis in hoc nunquam vinculis liberetur, & in illo, nempe humidô, beneficiô phlegmatis contra accensuros radios solares protegatur. Dicendum ergò restat, perpetuam in cordis concavo, & truncis arteriarum

in-

insignioribus vigere & ali flammam, novô semper pabulô ex sanguine acceptô ejus superficiem lambentem, & subjecta quævis, communicatô calore temperatô, tam à concretione nimiâ, quàm à suffocatione redundantis lymphæ, vindicantem, quæ aucta nimiùm ab ingesto spiritu vini inflammabili tandem per orificia venarum propulsâ, vel in stomacho & æsophago, vel in thorace & pulmone ascendentes halitus spirituosos corripuit, & flammivorum in flammivomum, horrendô spectaculô, commutavit. Sed & aliam rationem firmandæ thesi suppeditat Chymiæ rara soboles, Phosphorus, ex quibusvis animalium partibus fluidis, debitè priùs putrefactis, maximâ ignis torturâ prolectus: Is vasi vitreo, quantumvis obturato, inclusus & calore levi suscitatus, apertâ ardet flamma; imò adhæc aquæ submersus flammas fundere iisque aquæ superficiem lambere non desinit, indole sanè diversâ à quorumvis ignium & inflammabilium generibus, & ad oculum evincente, posse intra humidos sanguinis rivos eandem flammam perpetuò vigere, & ob respirationis beneficium multò faciliùs conservari. Sed & horrenda ejus in alterando & resolvendo virtus considerata digna est, ad declarandam digestionis nutritivæ vim satis stupendam: Solidissima enim corpora metallorum, aliàs omnem vim ignis culinaris eludentia, hâc flammâ in vase clausô tacta simul devorantur & elevantur, separatoque per aëris deliquium rursùs phosphoro, in mucorem abeunt sulphureum, nunquam, tentatis

omni-

omnibus artis docimasticæ subsidiis, in metallum ductile reducendum; sed vel evolaturum, vel formâ vitri rubicundi, ipsis etiam metallis nobilioribus commixtum, semper intentionem artificis frustraturum. Nec hanc resolvendi vim imminutam ostendit, si corpori vivo animalis affricetur intensiùs; nisi enim illicò, antequam epidermidem penetrarit, à circumfuso aëre, quem avidissimè colligit, in liquorem resolvatur & ita sui ipsius pabulô restinguatur, funestô satis successu in subjecta quævis ob vim concentratam grassatur, etiam ossa adurens, adeò augetur & nutritur humoribus nostris, semine ejusdem ignis turgidis. Demùm, quòd aquâ affusâ nunquam solvatur, & tamen, more salium, auræ expositus citissimè in liquorem abeat, nec, inde abstractô rursùs liquore, vim urentem & flammivomam amittat, indicio est, circumfusam atmosphæram commune suppeditare promptuarium, ex quo quodvis agentium id colligit quod arridet, & debiti pabuli vicem supplere valet. His, puto, primum suppositum, de igne flammanti, luculenter evictum est. Bilis verò alcalinam prorsùs naturam Chymia ad oculum demonstrat; licet enim ex omnibus reliquis animantium partibus, ope simplicis destillationis (quod non animadversum hactenùs à Chymiæ solertissimis, impensè miror) acidum acerrimum haberi queat; sola tamen bilis sub examen revocata nil promit, nisi cum phlegmate spiritum, seu sal volatile alcalinum, oleum inflammabile, sulphur quoddam in flores elevatum croceum amarum, & sal lixiviosum fixum,

ma-

magnâ, reſpectu reliquarum partium, quantitate conſpicuum, ac nullibi pauciori terræ aduſtæ commixtum; ut meritò dixeris bilem omnium humorum, exceptô ſpirituali luminoſò ultimæ concoctionis, depuratiſſimum & nobiliſſimum. Pancreas autem & omnes reliquæ glandulæ, ignis ſcrutiniô ſubjectæ, abundantiſſimum præ omnibus partibus producunt acidum, pauciſſimum oleï & ſalis volatilis, ſal alcalinum verò nullum, ſed potiùs ſalſum & acidô propriô imbutum: ac auſim aſſerere, ex omnium acidorum generibus acidum animalium virtute inciſivâ & penetrativâ ut & coagulativâ prævalere, cui ſententiæ, plurimis experimentis non vulgaribus mecum confirmatæ, fidem faciet ſalivæ in mercurium vivum, omnium colliquantium & alcalinorum potentiſſimum, ſtupenda poteſtas: hunc enim ſi ſalivâ, per diutinam digeſtionem à tenaci mucore fundum petente liberatâ, conterendo commiſceas, & trituram novâ hujus ſalivæ aſpergine indefeſſò ſtudio per aliquot dies protrahas, videbis à colore nigro per album tranſire ad rubicundum, & tùm omnem torturam ignis aperti infractum ſuſtinere; reſultante tali virtute medicâ & diaphoreticâ, quæ locatam operam abundè compenſabit. His perpenſis, æquus lector non diffitebitur, nec inconſultâ nec invitâ experientiâ, præcedentis paragraphi ſyſtema officinæ animali à nobis adaptatum eſſe, ex quo nunc fixô Ariadnæ filô procedentes, morborum variorum labyrinthum non irretiti perſcrutabimur, ac, favente Deô, pro virili anni-

te-

temur, ut noſtra veſtigia legentes, vitatis anfractibus, rectâ viâ ſcopum ſibi præfixum attingant, ac, adhibitâ ſtudio ulteriore experientiâ, indies ulteriora in hoc inexhauſtô naturæ arcanorum oceanô detegere valeant.

8. Patet nimirum tam ex compoſitione & reſolutione artificiali chymicâ rerum corporearum, quàm ex ſagaci animæ ſibi præcaventis diſpoſitione duorum humorum, quorum alter in diſſolvendo, alter in coagulando & conſtringendo, ſuas vires exſerit, corporis naturalis turbas & malas diſpoſitiones, ob quas anima ſuo operi intenta variô affectu affligitur, adæquatè reduci poſſe in duo capita generaliora, quorum alterum exhibebit occaſiones morbidorum affectuum animæ, ex *nimiâ* humorum *reſolutione* & orgaſmô captas, alterum, ex *nimiâ coagulatione* & impeditô circulô ſuppeditatas. Ars enim chymica naturæ imitatrix inſtrumentis ſuis, nimirum igne & liquoribus diverſi generis, tam contrahentibus quàm diſſipantibus, inſtructa, ad oculum corporum naturalium ſtructuram & reſolutionem, in quantum ea dependet à collectæ ab agente naturali materiæ aptitudine, facilè demonſtrat; imò in plantarum & animalium reſolutione, unicô ignis ſicci mediô, principia componentia paſſiva in apricum producit, quæ ſi quis ipſius ignis producta eſſe contendat, ignorantiæ potiùs protervæ prætextum quærit, quàm ex rei veritate loquitur; ſunt enim quædam ſubjecta igne ſeparata & ex ſyntheſi natu-

rali diſtracta, quæ rursùs unita idem, ſecundùm omnia, ſubjectum conſtituunt, quod ante ignis torturam fuerant, evidente documentô, per ignem nil produci poſſe, quod non re verâ corpori ſeparando priùs infuit, licet unumquodque componentium, terreis & aquoſis vinculis exutum, ſub figura peculiari & in ſeſe collectum, in conſpectum prodeat, cùm antea per omnem mixti extenſionem ſparſa ſibi invicem adhæſerint. Ut taceam, quòd quodvis reſolvendorum ſingularia, & ſibi ſoli, ratione quantitatis & qualitatis, propria depromat principia, uni licet igni & eidem gradui ſubjectum, quæ ſolers naturæ & artis filius jam guſtu ac odore determinare valet, antequam ignem ſenſerint. Hujus ergò artis ope omnes partes corporis animalis (non contenti aſpectu ſuperficiali, & inde deductis conjecturis) intimiùs rimati, deprehendimus in omnibus, (bile, & glandularum ſucco exceptis) conſtans, licet inæquale, commercium quatuor purarum, & duarum recrementitiarum partium, quas dicunt: *phlegma inſipidum, & aduſtum terreſtre; ſal volatile, oleum, acidum, & alcalinum ſal fixum*, nonnunquam etiam ob firmum acidi nexum, *merè ſalſum & medium*. Bilem acido prorsùs deſtitutam, & glandulas cum ſuo ſucco oleum nullum vel paucum, vix etiam aliquid ſalis volatilis, multùm verò acidi & ſalis armoniaci neutrius generis, præbere invenimus. At cùm, menſtruis alcalinis omnia diſcerpi & fluidiora evadere artificibus ubivis in confeſſo ſit; ex acidis verò cùm alcali-

nis

nis mixtis coagulationem præsentaneam suboriri, constet, dicere de jure licebit, duos hos succos, bilem & succum pancreaticum, unà cum flamma culinari sanguini incumbente, esse præcipua animæ viventis instrumenta chymica, quibus assumpta alimenta alterat, exaltat, in circulo debito continet, ac ita indigentiæ suæ prospicit: esse etiam instrumenta, præ vasibus continentibus facillimè alterationi & commistioni agentium inimicorum obnoxia, ut vel excessu vel defectu æquilibrii limites transcendant, & hinc maximarum turbarum suscitabula & omnium ferè morborum causæ fiant irritatrices; cùm è contrario, è vasorum continentium structura morbus vel sanitas parum periclitetur, quæ structura non potest turbari, nisi ab externo violento, vel à vitiatis primò contentis liquidis, vasa sua, vel vi corrosiva & dissolutiva vel constrictiva & oppletiva, laxantibus aut coarctantibus. Ut proinde Anatomia recepta, quæ neglectis dissecandis partibus fluidis, nexum vasorum miratur, & de novo subinde invento, aliquandò nullius momenti, magnos strepitus in vulgus eruditorum spargit, parùm vel nihil lucis Medicinæ attulisse videatur; licet eandem Chirurgi manus, ferro & igne armatas, viâ planâ aliquando ducere posse non negaverim, nec etiam indignam reputaverim, quæ à viro rerum naturalium & divinarum studioso, vel solius admirationis & jucunditatis ergò excolatur, dummodo ex istis leviculis, vel aliquot mensium spatio cuivis solerti ad unguem enarratu possibilibus, &

 solo-

ſolorum plerumque oculorum & memoriæ crepundiis, non magnorum Medicorum nomen affectemus, & omnes artis ſtudioſos tantâ contentione in viſendis & reviſendis cadaveribus detineamus (importunè & iniquè aliquando viva animalia curioſitatis gratiâ excruciando) ut fermè credi poſſit, Medicos nonnullos, non publico Profeſſoris Anatomici munere ad id adſtrictos, finem ſuæ artis ultimum conſtituiſſe, multa in promptu habere cadavera, quibus perſcrutandis & explicandis delectari queant. Mihi ſanè, relicto fœtore & ſquallore defuncti cadaveris, vel unicâ adſpectione ſatis cogniti, conſultiùs & utiliùs judico, manus polluere carbonibus, & partium fluidarum exquiſitam inſtituere analyſin, ut fluida fluidis debitè commiſcendo, fluxuræ per fluida ſanitati ſuccurrere integrum ſit: licet enim omnes fibrillas animalis adhuc vivi ex anatomiæ præceptis diſtinguere queam, (quod tamen impoſſibile, cùm mirificè vita in exſtruendo ſibi domicilio diſtributione & ordinatione vaſorum variet) incumbet nihilominus, per os tranſmittere medicinam, liquoribus permiſcendam, & in animæ viventis arbitrio relinquendam, quorſùm derivanda veniat, præcavente ſaltem Medici induſtriâ, ne quid immittat, quòd perſpecta morbi ratio diſſuadet, & majorum turbarum ſuſcitabulum fortè eſſe queat; ſi non ſemper liceat malum extirpare penitùs.

9. Quinimò, ſi, quod res eſt, effari licet, penitiùs exculta noſtris diebus partium continentium anatomia, medicantium chorum quibuſdam præ-

præjudiciis implicuit, in decumbentium plurimorum perniciem tendentibus: cùm enim, ex detecto ab *Harvæo*, & ulteriùs per *Blancartum* & alios enucleato ſanguinis circulo, pateret, quantis anguſtiis viarum liquores corporis animalis revolvantur, communi ferè ſuffragio itum eſt in ſententiam, omnes morbos obſtructionibus originem debere, ac, cùm viderent, acidorum indolem eſſe, colligere & conſtringere liquida heterogenea, unanimi ferè ore acida ex praxi & diæta proſcripſerunt, ſuffulti adhuc quorundam Chymicorum ſuperficiariâ experientiâ, aſſerentium, in reſolutione partium animalium chymicâ nil acidi in conſpectum prodire, à cujus præjudicii labe ipſe *Sylvius*, induſtrius anatomiæ utriuſque ſcrutator & de republicâ medicâ aliàs optimè meritus, non penitùs immunis fuit. Orgaſmum ergò ſanguinis in febribus ardentibus, imò malignis, peſtiferâ plerumquæ venæ ſectione ſiſtere, obſtructiones per ſudorifera & volatilia tollere, & horum intempeſtivum impetum, in reſolvendo humores & augendo malum, oppoſitis opiatis refrænare conſultum judicarunt, non niſi ſucceſſu funeſto, ni fortè naturæ reluctantis bonitas aliquandò & morbi & medicinæ malum ſuperarit. Ita ſemper immani ſaltu ab uno extremorum ad aliud avolantes, volatilibus, & his contrariis opiatis, tam morbo quàm ipſis ſuis medicaminibus occurrere oportuit, obſtruendo & penitùs ſtupefaciendo per opium, & aperiendo & concitando nimiùm circulum humorum per alcalina

volatilia; cùm moderato acidi blandioris usu unô veluti ictu omnia obstacula præscindere integrum fuisset. Ipsi tamen de hypotheseos certitudine parùm certi, tempore pestis ad acida rursùs confugerunt, tot annorum experientiâ comprobata. Permittant ergò nobis *morborum resolutivorum* jam enarrare phalangem, non obstructionibus & acido, sed concitatiori, per ignem culinarem & suffusum bilis resolventis oleum, circulo, & inde subsequenti disgregationi partium componentium, originem debentium, ac suppeditare talibus medicamina, quæ radices pullulantis mali tangunt, & ita indigentiæ perturbatæ vitæ succurrunt. *Phrenesin* & *maniam* solitariam, seu idiopathicam, concitatiori, per nimium ardentis flammæ culinaris impetum, circulo sanguinis originem debere, bile adhuc cum succo pancreatico æquilibrio certante & hinc fortioris digestionis adminicula præbente, certum esse puto: unde fit, quòd tales integris viribus, imò aliquando sanorum majoribus, confusorum sensuum tragœdiam ludant, ac nil nisi memoriæ & sensationis ordinatæ defectum ostendant. Accenditur autem nimiùm instrumentalis vitæ ignis, vel philtris & ipsius animæ incondito amoris desiderio, vel cibis facilè inflammabilibus & calidioribus, vel etiam abusu medicamentorum volatilium, (quod salis volatilis oleosi intemperato haustu aliquoties evenisse constat, etiam *Sylvio* adhuc superstite) & propagata ita flamma fervido circulo sanguinis commiscetur, perque arteriolarum ostia in cerebri officinam propul-

pulſa, humidum luminoſum non urens, idearum ſenſibilium ſtabulum, urente motu corripit, ipſamque officinam hujus quintæ eſſentiæ nobiliſſimæ, nimio affuſo ſanguine, non ſatis adhuc repurgato, fœdat: hinc talibus vitâ defunctis rubet ſectione apertum cerebri parenchyma, & vitâ fruentibus, anima huic hoſti & invaſori domicilii nobiliſſimi depellendo occupata negligit dijudicare ideas à ſenſibus externis, & concitatiore luminis ſenſualis circulo, rapidè & confusè acceptas, undè delirium, ac judicii & memoriæ, quatenùs ſenſibus exterioribus inſervit, corruptio. Ejuſdem conditionis & originis, quoad cauſas inſtrumentales, videtur eſſe concepta à morſu canis rabidi rabies, cujus venenum eodem modo per auctam vitæ flammam ſubintrare cerebrum credibile eſt; licet rationem veneni ex textura partium demonſtrare ſupervacaneum judicem, nec, cum *Sylvio*, facilè per alcali acre volatile definiverim. Intereà ignis flammantis exceſſum tam phænomena in decumbentibus obvia, quàm ipſe indicatorum medicamentorum in cura ſucceſſus, ſatis evincunt: curatum enim non una vice utrumque malum novimus continuato acidorum uſu, verbi gratia ſpiritus ſalis, vel ſpiritus vitrioli, quorum potentia, in reſtinguendo igne & ſiſtendo humorum circulo, omnibus in confeſſo eſt; & ſi quæ ſalia metallica ad manus ſint, faciliore omnia procedent tramite: vim enim anodynam & ſomniferam metallis, præprimis fixioribus, indidit propriæ vitæ genius, in colligendis &

coarctandis ſub ſuam ſphæram activitatis humoribus apprimè conſpicuus; quam vim colligendi in concitatas exhalationes corporis animalis exercens, ſuavi blandimento animam conturbatam demulcet, & ad ſomnum inclinat, ſecurum omninò & recreativum; non, ceu ex opio expectandus eſt, ſtupefactivum & nervis inimicum. Febrium malignarum cohors, *Peſtis*, *Petechiæ*, *febris ardens & putrida*, *variolæ*, *morbilli*, & id genus alia per contagium ſerpentia, manifeſtè diſſolvendo ſuam exercent malitiam; licet enim prodigioſa, præprimis in peſte, aliquandò ſymptomata, & inſultantis mali mirifica agendi diverſitas, exquiſitam rationem veneni occultent, & ipſemet facilè in *Judæorum Cabaliſtarum* ſententiam condeſcendam, quorum opiniones *Robertus Fludd* in ſua *Philoſophia Moſaica* collegit & ſuas fecit; imò & firmæ perſuaſioni *Turcarum*, de ſpirituali veneni graſſantis auctore, non admodùm refrager, primum tamen horum agentium malignorum inſtrumentum, quo officinam animalem infeſtant, eſſe flammam culinarem ſuffusâ abundante bile auctam & concitatam, omnia indicia evidenter evincunt: calor nimirum intenſus, delirium, proſtratus appetitus, anxietates ſubitaneæ, & ſanguinis, importunè hic ſemper per venæ ſectionem extravaſati, nimia liquiditas etiam in frigore ſuam indolem retinens; avulſo ergò è manibus infenſi hoſtis inſtrumento nocivo, de abigendo penitùs malo non deſperandum eſt. Diſſolutiva malignitas & inde patet, quòd putrefactivis exha-

halationibus ipſe aer inficiatur, & ita malo morbi genio inſtrumenta lethifera multiplicentur. Deinùm explorata per experientiam medicamenta unanimi ore eandem ſententiam confirmant: acidis enim & anodynis, bilis & ignis culinaris domitoribus ſemper accincti Medici felices adhibuerunt manus: ac novi, plures febri maligna & petechiali decumbentes, integris malis citriis comeſtis, ſaccharo aliquatenus ſapori ſuccurrente, illicò reſtitutos fuiſſe; interim ſudorifera mineralia non negligenda ſunt, colligunt enim ſparſos per circuli igniti vehementiam humores, ac ita materiam ſudoris præbent, aliàs per ſudorifera volatilia nunquam ſucceſſuri, ſudor enim in excellenti gradu malignitatis deficit, non ex oppletis poris, ſed ex deficiente lympha, calore urgente adeò rarefacta, ut in ſuperficie cuticulæ colligi nequeat. Hinc ſopitis per acida igne & bile, & per metallorum genium ſpecificum revocatis in ſuum centrum exhalationum concitatarum effluviis, anima ultrò malo depellendo, utpotè ſuorum inſtrumentorum rurſùs compos, incumbit, & per ſudorem bonæ criſeos præbet indicia. Si quis verò verâ & radicali auri ſolutione, verâ itemque coralliorum tincturâ, medicaminibus ſaporis & odoris ſuavitate cum omnibus ſaccharatis & aromaticis facilè certantibus, inſtructus acceſſerit, experietur, quid artis chymicæ debeatur arcanis, & quàm facilè omnium morborum acutorum & malignorum conventus, uni vel duobus medicaminibus locum cedat. *Diarrhœam* & *dyſenteriam* acutam

 ſub

ſub eundem cenſum revocamus; licet hîc bilis & ignis in ſanguine orgaſmus præviæ obſtructioni ductus biliarii debeat originem, communiter ex intemperato ciborum facilè fermentabilium, & in chylum acidum abeuntium, eſu excitatæ, quales ſunt fructus horæi, ſaccharata, mellita &c. Retroacta ergò bilis in venæ portæ circulum regurgitat, & inde in totam ſanguinis maſſam derivata ignem accendit, & alcalinâ ſuâ incidendi facultate omnia juſto fluidiora reddit. Succus intereà pancreaticus, abundanti ciborum acido auctus, loco boni chyli magma pituitoſum & lentum albicans producit, nullâ per bilem facta ampliùs fæcum præcipitatione & liquidi purioris ſeparatione; arroſâ ergò & ſtimulatâ per exedens iſtud acidum inteſtinorum interiore mucoſa ſuperficie, ſparſa per eandem orificia venarum arterioſarum aperiuntur, &, largo imbre expulſi ſanguinis, dejectioni albicanti ruborem inducunt, pro acidi & bilis menſura variantem: hinc tam ſubita hunc morbum comitans virium proſtratio; ardet nimirum ignis, & nutritio ceſſat, obſtructis venis lacteis & ſucco nutritioni inepto, impedita. Curam ante expectatam gangrænam inteſtinorum, facilè abſolvit purgans & incidens lene, ad ſemovendam priùs collectam primarum viarum ſaburram deſtinatum. Tale ex mille eſt *ſal Theophraſti enixum*, ſub nomine *ſalis mirabilis Glauberi*, vel *Anglicani* etiam, ubivis notum; cùm enim neque acidis neque alcalibus, utpotè naturæ prorsùs mediæ, bellum indicat, &, quæ eſt ſalium indoles, omni-

nibus humoribus facilè miſceatur, ſine ullâ flatuum & torminum turbâ purgat, reſerat, & nullius ſubſecuturæ obſtructionis & adſtrictionis alvi metum relinquit. Deoppilato ſic rursùs ductu biliario, mala producta ultrò cedunt; & adhibita poſtmodum, ſi vel nil aliud ad manus ſit, guttatim bilis animalium vel piſcium mirum in modum recurſum bilis accelerat, acidum enim in duodeno & meſenterio prævalens vicariâ hujus ope obtunditur, ac per conſequens ductuum anguſtiorum obſtructiones tolluntur. Orgaſmum autem ſanguinis ex regurgitante bile ortum hîc potiùs anodynis mineralibus, quàm acidis, infringere, conducit, ſublatâ obſtructione facilè domitum. Tincturâ demùm coralliorum tam orgaſmus dictus tollitur, quàm viſcera exeſa facillimè conſolidantur, etiam jam dum gangrænâ corripi incipientia. Hac deſtitutus, martiatis liquidis blandioribus, non nimiùm ex ſolvente adſtringentibus, facilè rem conficiet. Multiplicatis verò bolorum adſtringentium & pulverum præcipitantium ut & laudanorum mixturis, parùm ſolatii hauriunt ægri, ſi non plùs aggravantur; nam in tenaci magmate cum acido pugnantia terrea flatuum & turbarum ingentium ſunt potiùs ſemina quàm levamina, & tandem ita obſtruunt, ut cacando animam exhalaſſe fuiſſet conſultiùs. Tandèm in morborum reſolutivorum ordine comparebit nobis ipſe *Scorbutus*, & hujus patris peſſimæ filiæ *Elephantiaſis*, *Pſora*, *Lepra*, quorum ortum veteres meliore jure adſcripſerunt bili cuidam atræ & aduſtæ (licet ejus ſedem

dem malè in liene quæsiverint.) quàm recentiores acido obstruenti & mordicanti; quorum nonnulli eò progressi sunt, ut omnem morbum ex acido scorbuticum esse, insulsâ sentienti libidine, asseverarint. Reverà enim bilis sui salis fixi lixiviosi pondere nimiùm aucta, & hinc ad circulandum inertior reddita, unà cum grassante nimis culinari flammâ, mater est mali scorbutici, succenturiante salsorum & mali succi ciborum diætâ, quam spirituum ardentium usu & aromatum condimento corrigere inconsultò placuit. Inde est, quod nautis, leguminum sale lixivioso abundantium, & carnium salsarum fumoque induratarum cupediis assuetis, & his duræ concoctionis cibis, spirituum ardentium & piperatorum igne, medelam quærentibus, scorbutus sit familiarissimus. Bilis enim ita aucta salis sui fixi mole, sanguinem, crudiore & salso chylo æquè infectum, stimulat & incidit; usus verò inflammabilium ignem depascentem auget, quo quicquid volatilis & luminosi succi adhuc massæ sanguineæ inest, dispergitur, ac ita sensuum hebetudo membrorumque gravitas, deficiente ultimæ concoctionis pabulo, suboritur, sale interim lixivioso, vi sua caustica & incisiva, lymphæ, quæ pauca restat, sese commiscente, ac ita cutem deformante. Et sic circulus sanguinis in scorbuticis fit debilior, non defectu flammantis ignis, nec defectu incidentis bilis lixiviosæ & adustæ, sed defectu absorpti penitùs acidi, & ejecti per ignem salis volatilis, (quod blandi cujusdam acidi vinculis semper in statu naturali strin-

ſtringitur) & tandem lymphæ ſalibus fixis refertæ ineptitudine & paucitate. Quam morbi diſſolutivi rationem indicatam ulteriùs confirmant perpetui ferè ſudores & exhalationes fœtidæ imò infectivæ, depreſſus itidem & arefactus, pro durantis mali menſurâ, corporis habitus, pilorum denique effluvium, ſale lixivioſo radicitùs evulſorum, ac tandèm medendi ratio experientiâ comprobata: Quamprimùm enim nautæ ſcorbutici continentem attingunt, ac iſthìc olerum, pomorum, malorum citriorum & aurantiorum ſucco ſubacido igni exedenti, & recentium carnium juſculis lymphæ & ſalis volatilis defectui medelam quærere poſſunt, brevi ceſſat aggravantis mali ſenſus. Sic acidulis in Germania, junctâ boni ſucci ciborum diætâ, facillimè ſcorbutum ſolvi in comperto eſt; ſic & herbarum antiſcorbuticarum, becabungæ, ſiſymbrii aquatici, cochleariæ, cerefolii, acetoſæ &c. recenti ſucco expreſſo carnium recentium juſculis mixto, feliciſſimè multos reſtitutos memini intra menſis ſpatium; nec ſpes fefellit id medicamentum in curandis Pſorâ & Elephantiaſi deformatis, ubi tamen carnem recentem viperarum ad gelatinam decoctam junxiſſe viſum fuit, unà cum ſulphuris mineralis floribus, acido ſuo præpotenti, per humores primarum viarum facilè ab oleoſis ſuis vinculis ſeparabili, mirum in modum ſalis lixivioſi & flammæ ardentis vim infringentis, & hinc omnibus morbis diſſolutivis malignis pariter & lentis, tutiſſimum ſemper & non infimi loci remedium exiſtentis. Quæ reſtant hujus generis

ma-

mala (nec enim omnia & ſingula ſiſtere inſtituti ratio permittit) prudens Medicus facilè ſuo loco reponet, ut & diverſæ originis, ſub eodem tamen nomine comparentes, morborum ſpecies. Sic *Phlegmone*, *& abſceſſus*: *pleureſis* verbi gratia, *angina & vomica pulmonis*, item *hæmorrhagiæ* variæ, ut & *cordis palpitationes*, modò ex ſemine morborum reſolutivorum originem trahere poſſunt, modò ex coagulantium: extravaſato nimirum & coarctato ſanguine vel ab agitante circulo concitatiore, vel premente in parte aliqua ſtagnationis incommodo, quod acido interno vel frigori externo originem debet. In quorum cura non ad eundem modulum ſapienti procedendum, niſi ſibi integrum putet, vitâ hominum artis experimenta redimere. Sic & contuſionum & vulnerum curandi ratio temperamenti ad morbos diſſolutivos vel tartareos proni indoli præcavere debet: In bilioſo enim & volatili ſatis ſanguinis circulo, vulnera & contuſiones facilè *Sphacelô* & *gangrænâ* corripiuntur, ob intenſam ſuccorum ardendi & reſolvendi potentiam, ſenſationiſque animalis vigorem, quô anima exaſperata citiùs in parte læſa recedit, & necroſi locum dat. In ſcorbuticis verò & lentæ bilis ſubjectis, ſalis lixivioſi & craſſi vitiô, conſolidatio retardatur, & vulnera nonnunquam in perpetuæ ſalſuginis fontes degenerant. Sic prioris ſortis biliarii ad *exanthemata*, *carbunculos*, *bubones &* acutè pungentes cutis deformitates proni ſunt; at poſterioris, ad *ulcera cacoëthica fluida*, *herpetes*, & lentas impetigines, ſuperficiem magis

gis deprimentes, quàm inflantes. Quæ non observata, præposteras sæpiùs reddunt Chirurgorum operas, ut eodem medicamine, quo sphacelum, verbi gratia, gangrænam, aut ulcera phagedænica in serpendo aliquandò sisti legerunt vel deprehenderunt, cancri vel fistulæ incrementa cohibere annitantur, cùm tamen mala hæc satis atrocia ex diverso & contrario humorum fonte procedant, & sic diversa omninò & contraria instrumenta medica deposcant.

10. *Morborum coagulantium & tartareorum* ortum & incrementum dat *acidum*, seu *succus Pancreaticus* sui domicilii limites excedens, & sensim bilis balsamum infringens, imò tandem prorsùs destruens. Cùm ipsum pancreas, & proximè adjacens lienis parenchyma, vitiô redundantis acidi, humore viscido obstruitur, & acidis receptis exhalationibus intumescit, oritur *Cachexia*, *Melancholia hypochondriaca*, & nauseosa animæ anxietas, sensimque deficiente alimento ultimæ concoctionis luminoso, anima, præsentium quasi incuria, defigit cogitationes in objecta tristia, vel præterita, vel ex metu futura, cui malo suppetias ferunt sinistræ fortunæ eventus inopinati, vel rerum domesticarum angustiæ, & nonnunquam ad extrema desperationis remedia vitam defatigatam impellunt. Difficilior tùm curatu est morbus, cujus semina singulis momentis à spiritu, ceu mente ipsa, vitæ animali suppeditantur, ac nisi Christianismi vel veræ philosophiæ præceptis mens istis laqueis extricetur, & in statum serenum vindicetur, omnis Medici

lu-

luditur opera; aliàs verò reſerantibus & inciſivis ſalinis, ut & abſorbentibus acidum, non neglectis iis, quæ bilem reſtaurare valent, cura feliciter abſolvitur. Omninò tamen hic cavendum à ſpirituum ardentium uſu, qui prædominanti jam acido commixti in acetum acerrimum abeunt, & ignem culinarem non ampliùs augent, quod experiri datur affuſo in acetum vini ſpiritu inflammabili, aceti acrimoniam paucis diëbus impensè adaucturo. In talibus defunctis deprehenditur hepar, bilis colligendæ officina nobiliſſima, & ipſa cyſtis fellis colore nativo ſpoliata, vel albicans, vel ex viridi nonnunquam fuſca, qui color & exemptæ bili ſanorum, acido affuſo ſub merſæ, facilè inducitur. Iiſdem indiciis corpus defunctum ornat, & ex eodem corruptionis fonte procedit *hydrops*, in temperamento tamen ſucculentiore, & collecto ſale ſalſo magis turgido noxam exercens. Bilis, & tota maſſa ſanguinea, ab acido & muria ſenſim deſtructa, culinarem flammam pabulo ſpoliant: muria verò ſtagnans aliàs ab acido magma albicans quodammodò incidit, & hauſtos, ſtimulante ſiti, liquores, in corpus diſtribuit, qui ſalſi & acidi liquores, exitum non invenientes per obſtructas & induratas renum anguſtias, tandèm arteriarum oſtiola, vaſa lymphatica, & anguſtiſſimos fibrarum muſculorum canales, per quos ad venas circulantis ſanguinis fit derivatio, erodunt, & liquidum iſtud hydropicum inopportuno loco deponunt, ex cujus loci diverſitate diverſa hydrops ſortita eſt nomina, modò *aſcites*, modò *anaſarca*, modò

dò *tympanites* &c. audiens, concomitante ubivis ſalſum & viſcidum hoc lymphæ ſtagnum flatulentiâ quadam ex acidi, ſalſi & viſcidi, ut & pauci, quod reſtat, ſalis volatilis alcalini reactione ſubortâ. Malum iſtud cachecticis acceleratur communiter inconſultâ diætâ, nimirum ſpirituum ardentium & aromatum uſu, quibus, nonnunquam ſuaſu ipſorum Medicorum, cruditates ſtomachi corrigere nituntur, ac intereà acidi ſuccreſcentis vires intenſiſſimè augent, biliſque officinam obſtructionibus funeſtis exacerbant. Conqueruntur tunc communiter de dolente calidiore & ſcirrhoſo hepate, & ajunt, præeunte Medicorum quorundam cantilenâ, frigidum ſtomachum curari calidioribus vix poſſe, quin medicamentis proximè adjacens hepar infeſtetur, neſcientes miſeri, quòd calidæ hujus aquæ vitæ hauſtu liquoribus ſuis glaciem quaſi inducant, & flammæ culinaris extinctionem ubivis accelerent, ut demùm ventriculo æquè ac calidiori hepati concreto gelu pereundum ſit. Vidi ſanè quàm plurimos, qui frequentato hujus generis potu vitæ, ceu vocant, vel inemendabilis *hydropiſis* vel *phtiſeos cachecticæ* malum contraxerunt, nec defuerunt his Medici, qui loco medicaminis venenum præſentiſſimum ex aromaticis & diureticis calidioribus propinarunt. Malum, præprimis in principiis neglectum, ſatis atrox eſt, curabile tamen, & aliquoties leviusculis curatum: paracentheſi verò, niſi ſimul origo funditùs internis tollatur, ſeducitur aqua alveis, evacuatis brevi

F rur-

rursùs implendis. Unica, ad felicem curam, Medici intentio ſit directa ad reſtaurandam hepatis officinam biliferam, poſtquam purgante conveniente, & nullius reactionis in humores acidos labe infecto, gravius onus per alvum ſubduxerit, qua in re *ſal* dictum *mirabile* mirabiles reverà effectus edit. Bilem verò & hepar reſtaurant, acidumque ſimul retundunt omnia amaricantia: horum maximè balſamica ſi extrahantur ſalibus alcalibus tam fixis quàm volatilibus, vicariæ quaſi bilis componunt ſyſtema, ad miraculum hydropicis proficuum, & bilis ſuccumbentis reſtaurativum: recolliguntur enim proſtratæ vires, & anima ſuorum inſtrumentorum rursùs apparatu inſtructa, coagulationes ex acido facilè diſſolvet, ſuccedente copioſiſſima diureſi, & alvi, ſi opus fuerit, laxatione. Hac methodo plures liberare, benedicente Deo, contigit. Nec ſua laude defraudanda hic ſunt ſulphura metallorum, præprimis veneris & antimonii, alcalinorum menſtruorum ope collecta, ut & divinæ planè indolis in reparanda officina hepatis, & recolligenda bile cichoreum & rhabarbarum: iſtud ultimum ſufficiente quantitate decocti uvarum corinthiacarum extractum, & ad conſiſtentiam ſyrupi inſpiſſatum, vel ſolum omnibus hepatis & bilis defectibus ſuccurrit, etiam ſcirrhos ejus tractu temporis reſolvens. Experturo aſſertorum comparebit veritas nos ab omni jactantiæ macula facilè abſolutura. Ex ſuppreſſa bile & redundante acido itidem eſt *aſthma*, tam *humoroſum*, viſciditate ſua thoracem & pulmones obſidens, quàm

con-

convulsivum, in orificio ventriculi superiore arrodentibus humoribus acidis, miserrimam suffocationis & anxietatis tragœdiam ludens, syncope & lipothymiâ non rarò comitibus, ex consensu nervorum, huc ex nobilissimis partibus derivatorum, oriundis. Vehementia paroxysmorum ut plurimùm augetur repleto cibis stomacho, quia tùm innatans acidum ad orificium attollitur; ac, si fortè superveniat ex contorto motu vomitus, solamen præsens est. In utroque genere asthmatis mirum in modum vacillat recepta nonnullis curandi methodus, dum expectorantibus saccharatis, ceu vocant, & syrupis mellitis acidi viribus nova fermentatione succurrunt, ac malum exasperant. Nil utilius, quàm vomitivo securo, multâ suffusâ aquâ calidâ, stomachum exonerare, ac tùm absorbentibus, & amaris, salibus itidem alcalinis, reliquias supprimere, & novæ collectioni vias præscindere. Si verò in asthmate humoroso expectorantia adhibere è re sit, cavendum omninò à syrupis & saccharatis, infantili palato potiùs, quàm Medico, & ægro ex humoribus lentis, convenientibus: amara balsamica unà cum floribus sulphuris & benzoïni, alcalino menstruo extracta, & propinata, paucis guttulis plùs expectorant, quàm integræ morsulorum & syruporum libræ, pulveribus expectorantibus, & succis incidentibus gravidæ: vehiculo enim tali, acidi abundantis stabulo, jam vis juncti medicaminis aperientis obtusa est, ac vehiculum ipsum plùs aciditatis constringentis parti affectæ addit, quàm mistum medicamentum adimit. Id

quod *aſthma convulſivum* molitur in orificio ventriculi, *colica* agit in inteſtinis ſubjectis, pro ratione & indole conſtringentis & arrodentis acidi, in materia viſcoſa flatulenti, remiſſa, & intenſa. Cura abſolvitur feliciſſimè purgantibus ſalinis, naturæ mediæ, quale eſt jam aliquoties dictum ſal mirabile, ſuccedente tùm ſalium alcalinorum & amaricantium balſamo. Inconſultè agunt, qui, lancinanti dolori opiatis hic ſuccurrere, non verentur; palliant, & majoribus obſtructionibus flatuoſis materiam ipſo medicamine ſubminiſtrant. Nec carminativa calidiora ſemper è re ſunt decumbentium; quarum vicem ſecuriùs ſupplet fomentum caloris extrinſeci, vel enema ſuccis temperandis correſpondens. *Febrium ex horrore frigoris intermittentium* penitiùs introſpecta indoles ſuadet eaſdem in *coagulantium morborum* numerum reponere; licet enim paroxyſmorum, horrore incipientium, & fervore deſinentium, inſultus contrarii evincant, acidi & bilis hîc vigere mutuum dominium, quia tamen primus aggreſſor infenſus deprehenditur acidum, tam adventitium, priùs ſtomachum ex cibis lædens, quàm pancreaticum, aucto nimis alveo in ſuccum nutritium effuſum, jus denominandi à potiore nobis non invidebitur. Mira eſt febrium harum diverſitas, in quarum nomenclatura danda Medici ferè æquè deſudarunt vano conatu, quàm in inveſtigandâ ſtatis temporibus recurrentium paroxyſmorum causâ genuinâ: Dantur nimirum *quotidianæ*, *tertianæ*, *quartanæ*, nonnunquam & *quintanæ* & longioris moræ hoſtes: Dividunt rur-

rursùs in *nothas* & *genuinas*, in *ſimplices*, *duplices*, *triplices* &c. ratione anticipantium & poſtponentium paroxyſmorum confictas: decumbentes interim omnes pro ſpuriis & nothis agnoſcent, & ex mira iſta diſpoſitionis & enumerationis concinnitate vix aliquid levaminis carpent; nec video, cur tanto ſtudio nomina multiplicanda fuerint, cùm ex eodem fonte omnium procedat origo, & magis vel minùs, hodiè vel cras, aliaque accidentia vaga eſſentiam rei non varient. Meliore jure à ſolertibus inquiſitum eſt in cauſas tam frigoris & fervoris, quàm ſtati, in recurrendo, temporis. Contrariæ ſenſationis, frigoris nimirum & fervoris, cauſas genuinas facilè invenerunt ii, qui, pyrotechnia duce & experientiâ comite, didicerunt, quid flammæ obſit, & horroris ſenſum viventi animali excitet, & quid eam augeat, & ita ſenſu caloris nimiô affligat: hisque firma hæſit ſententia, frigus non poſſe aliter ex confuſione liquorum animalium oriri, quàm prædominante acido, caloris verò intenſi incommodum ex ſuperveniente diſſolutivæ bilis, flammæ vitalis quaſi olei, ſuccurſu neceſſariò dependere; ſuffulciente ſententiam hanc ſucci pancreatici & bilis in corpore ſitu, officio ordinario, & naturæ ceu compoſitionis intimioris genio, per chymiam explorato. Sed periodorum alternatio adeò defatigavit ingenium ſcrutantium, ut plurimi Medicorum, videntes conjecturarum debilium nexum, ab aliis ſuppeditatarum, meliore conſilio ignorantiam ſuam ingenuè fateri maluerint, quàm vento diſflandam

ſubſternere hypotheſin. Nec, quæ *Helmontius ſenior* de *Archæo* ſuo, ad certum tempus quaſi ſopito & laſſato, poſtmodùm verò redintegratis viribus, & concitatis affectibus pugnam cum noxa rursùs ineunte, ad acceſſuum febrilium explanationem ſuggerit, extra dubium ſunt; licet enim frigoris & caloris ſenſatio affectio ſit vitæ incorruptibilis & ſpiritualis, quam, ſi Archæum an animam dixeris, perinde foret; nemo tamen ſomnum quaſi animæ, & recurrentes poſtmodùm affectuum & ſenſationum raptus facilè admiſerit, in continua mali urgentis præſentia, & materiæ peccantis, ceu vocant, non unà repetitis acceſſibus & intermiſſionibus. Sic nec eruditi & expertiſſimi *Sylvii* conjectura de obſtructis ad certum tempus valvulis, in *ductu Virſungino* ſeu pancreatico, conſpicuis, obſcuritatis velum adimit, cùm intra pancreatis concavum obſtructiones non poſſint eſſe ſine totius officinæ inflatione, & ipſius ſucci pancreatici lentore viſcido, inepto hactenùs ad ſubitaneam in duodenum effuſionem, & cum chylo in maſſam ſanguineam diſtributionem, unde flamma culinaris ſupprimitur, &, facta reactione in alcali volatile, horror excitatur. Malo tamen genio ex conſilio agenti rem acceptam ferre nimiùm præceps foret: ergò, conjecturis additam videre conjecturam, non gravabuntur ii, qui rerum cauſis inveſtigatis ſe felices putant, & patienter audient, quæ rationi & experientiæ conſentanea arbitramur. Putamus, malum febrium cum horrore intermittentium primam originem trahere ex ventriculi pylo-

loro, vel orificio inferiore, fracedine & erodentibus humoribus correpto & corrupto, ac hinc dolorum ſenſu tumido & indurato: hoc tumore & duritie ulteriùs corripi, putamus, inteſtinum duodenum, qua parte carnoſius ventriculo committitur, & in ſe ductum tam *Virſunginum*, quàm *porum* biliarium in unum orificium coëuntes, aliquandò etiam duobus orificiis & valvulis diſtinctos, recipit. Tumore hoc duodeni orificium iſtud in tunicis ſuis inflari & coarctari, & valvulam objectam rigidiùs fiſſuras claudere, in aprico eſt; idque maximè in ductu biliario, qui intra membranas validas anguſta concavitate obliquè ſerpit, antequam ductui pancreatico jungatur, & intra duodeni concavum ſuas dotes effundat; cùm ductus *Virſunginus* rectâ lineâ, & non impedita cancavitate ſui canalis, in duodenum exeat. Stricto ergò ſic utriuſque ductus orificio, & premente arctiùs fiſſuram valvulâ ex tumore rigidâ, ſiſtitur eò uſque liquor contentus, donec, repletis nimium vaſis, quaſi vi cataractas objectas rumpat, & impetuoſò gurgite in duodenum ſe effundat; primas abſolvente vices ſucco pancreatico, ampliore & liberiore canali ad orificium commune derivato, qui frigoris & horroris auctor eſt genuinus, & ſubſequente, poſt certum temporis, quod temperamentum & digeſtio animalis definit, tractum, bile, novâ & contrariâ vi prioris mixturæ exceſſum exceſſivè temperante & æſtum concitante. Factâ ſic evacuatione utriuſque liquoris, orificium rursùs contrahi, ut fuit, nemo non videt, donec nova

repletio novam moliatur exinanitionem, & ita periodorum diverſas, ex temperamento, & ex vaſorum repletione ſtatas leges conſtituat. Hanc meam de indole febrium intermittentium ſententiam confirmat experientia, ex initiis, progreſſu, & cura ipſius mali hauſta. Dolor quidem & tumor ſtomachi, ſuis gradibus diſtinctus, & ex ſenſus inferioris orificii fervore reſultans ſitis mendoſa, decumbentibus in confeſſo eſt: & paroxyſmorum poſtpoſitio, ut & quotidianæ in tertianam, & hujus in quartanam mutatio, augeſcentis mali indicium meritò creditur, quia deſignat tam rigidi tumoris incrementum, quàm digeſtionis, ex qua colliguntur humores dicti fermentativi, bilis & ſuccus pancreaticus, decrementum, & ignis culinaris flammam remiſſiorem. Hinc, quòd quidam arbitrentur, bonâ naturæ criſi per aliquod tempus poſſe graſſari febrem, nec illicò ſiſtendam eſſe, ridiculum eſt; cùm febris non tam inveniat noxam in humoribus, quàm inferat, ex excedente confuſione dictorum liquorum, vi quaſi retardatorum, & ex clauſtris ſuis erumpentium: quò diutiùs ergò duraverit febris, eò magis turbabitur craſis totius officinæ animalis, & corrupto demùm ceu ſuppreſſo alterutro humorum fermentativorum, ut alteri in emaciato per continuam luctam corpore dominium obtingat, cachexia, phtiſis, hydrops, vel febris hectica, adventantis mortis funeſtiores nuncii febre ipſa, erunt protractæ in curando moræ redhoſtimenta. Sed felix demùm curandi methodus datam hypothe-

ſin

ſin evidentiùs ſtabiliet. Poſt ſubductam enim ex ſtomacho, ſi conditio ægri permiſerit, per vomitum, vel digeſtivorum ſalium ope inciſam, & per inferiora repurgatam ſaburram, nil præſentiùs fugandis febribus operam navat, quàm ſtomachicorum, balſamicorum amarorum, emollientium, & ſulphurum mineralium, ſemper anodynorum, præprimis martis & antimonii, concentus. Imò ſoli flores hæmatitis, qui totus, quantus eſt, minera martis eſt, ſale armoniaco elevati, & convenienter exhibiti, ſat ſtrenui febrium domitores reperientur, ob vim, qua pollent, inciſivam & ſimul anodynam, aptam duritiem pylori ſolvere, & blando fotu in ordinem redigere, quo facto, tota febris cauſa ſublata eſt, præprimis ſi principiis illicò obſtiterit Medicus, nec conſultum duxerit, quintum vel ſextum expectare paroxyſmum. Non poſſum, quin hic in commodum proximi, & in demonſtrationem aſſertæ hypotheſeos communicem medicamentum, quo omnes omninò febres intermittentes, unica ſaltem adminiſtrata doſi, ſolutas eſſe ſæpiſſimè comperi, & quidem operatione ſatis mirabili; ſomno enim corripiebantur decumbentes, & protracta per horas nonnunquam quindecim dulci quiete, floreſcente & vivido faciëi colore conſpicua, fruſtrantes paroxyſmum ſani reſurgebant, de non recurſuro hoſte ſecuri. Eâdem ſtupendâ vi ſomniferâ in ægrotis, cùm ſanis nullum omninò ſomnum inducat, ſopivit convulſionum miſerandarum tragœdiam, qua æger libero aëre quaſi ſuſpende-
 batur,

batur, mentis & ſenſuum, etiam extra paroxyſmum, impos, & creditus à cacodæmone agi: inducto enim ſomno triginta horarum incolumem ſtitit ægrum, loquela & intellectu ſimul redintegratis, & omnibus Medicis, qui operam locaverant, unà cum præſentibus aliis quaſi attonitis, ac tùm de veritate lapidis philoſophici & medicinæ univerſalis ferè perſuaſis, licet viliſſimum & abjectum Pharmacopœis fuerit medicamentum; patientibus tamen manibus elaboratum: cujus ſapori grato & aromatico ſi correſponderet odoris gravè penetrantis conditio, eſſet equidem unum ex omnibus, quo maxima morborum coagulantium pars uno quaſi ictu, citò, tutò & jucundè amputari poſſet. Eſt iſtud oleum deſtillatum, & ſeparatum à ſuo ſale, ex animalis partibus quibuscunque, ex cornuta ſine ullius rei additione eò uſque rectificatum, donec nil aduſtarum fæcum nigrarum ampliùs in fundo relinquat, quod vel quindecim ad minimum repetitionibus obtinetur. Iſtud, inquam, oleum 30. vel 40. guttarum pondere ante paroxyſmum jejuno ſtomacho exhibitum, ſomno dulci & de nulla narcoſi ſuſpecto, febres ſepelit; nulla alia de cauſa, quàm quòd anodyna vi dolentem ventriculum ſoletur, ac penetrante inciſione tumorem pylori emolliat, ſicque coarctatis bilis & ſucci pancreatici ductibus viam liberam aperiat, naturali lege rursùs coëundi, ac munera deſtinata ſubeundi. Ut vel hoc uno remedio opinio mea de ortu periodorum febrilium probabilis ſatis evadat, ac inextricabilis difficultatis nodus videa-

videatur jam ſatis ſolutus, qui Ethnicos adegit, febris originem extra naturam rerum corporalium quærere, ac febrem ipſam, tanquam Vejovis cujusdam miniſtram vindicem, religioſo cultu placare. *Lithiaſis*, *arthritis vaga*, & *fixa* ſub *podagræ* nomine ubivis lugubres planctus excitans, ejuſdem ſunt originis, & extrà dubium ex coagulantium & tartareorum morborum numero; oriuntur autem ab acido tenui & volatili, quod, ſalvis adhuc & vigentibus concoctionis & digeſtionis organis primariis, maſſam ſanguinis ſubintrat, ac iſthic, ob circuli concitatioris vim & ignis culinaris flabellum, vix locum reperiens, in aliis demùm partibus coagulationis nequitiam exercet, pro ratione ſtabuli dolorem vehementem, remiſſiorem, vel nullum inducens, & varios morbos ſiſtens. Si per emulgentes in vaſa urinaria derivetur, arripit tunicam eorum interiorem mucoſam, ac partes avulſas in ſabuli & calculi duritiem coarctat. Si fortè intrà muſculorum & membranæ carnoſæ contiguitates locum ſibi figat, ex humore glutinoſo novas & inſolitas conglobat glandulas & nodos, omnis ferè doloris expertes, ac in mirum quandoque pondus excreſcentes, ſub *gangliorum*, *meliceridum*, *ſteatomatum* & *polyporum* nomine conſpicuos, nobis hic ſub generali lithiaſeos appellatione meritò indicandos; ſin autem in officinam cerebri propellatur, atque inde nervorum canales ſubintrans ex molli horum pulpa lapillos tenues fabricet, maximâ indignatione & dolore corripitur anima, in officina nimirum nobiliſſima officio

ſuo

ſuo turbata: qui lapilli tenuiores, quò ad vehiculo humido adhuc innatant & volvuntur, arthritidis vagæ dolores exhibent, coarctati verò & impediti circa articulorum ligamenta dolori podagrico & inflammationibus horrendis fomitem ſubminiſtrant, tandèmque nervorum compagem rumpunt, ac in nodorum cretaceorum cumulum coacervantur. Origo hæc indicata malorum, ſatis hactenùs occultorum, & indomitorum, patebit evidentiùs, ſi cauſæ occaſionales horum morborum externæ expendantur: accreſcunt nimirum mala enumerata cibis & potibus calidioribus, qui omnes ſcatent, explorante chymiâ, acido volatili, ac ſimùl oleoſitate ſua inflammabili officinæ animalis ignem augent. Exacerbantur affectu iræ, quia, concitato per hunc affectum ſanguinis & ignis culinaris circulo, acidum innatans abundantiùs propellitur, & in locum affectum exoneratur. Obeſt frigus externum intenſius, quia hôc humores viſcidi magis inſpiſſantur, ac ſic coagulanti acido abundantior & aptior ſubſternitur materia. Nocet impensè venus, quia, emulſo ſemine ſucco nervorum ſcatente, affluxus tenuioris & luminoſi ultimæ concoctionis pabuli ad genitalia acceleratur, ac, ſubductâ ita optimâ & liquidiſſimâ ſubſtantiâ, tenacis mucoris fæculentia fixiores agit radices, acidoque coagulanti leviſſimo negotio tartarum adauget. Ut taceam, quòd diffusâ ita & profusâ ſpirituum animalium & atmoſphæræ lucidæ pretiosâ ſuppellectile, glandularum & vaſorum lymphaticorum ſuccus acidus, ex captura hujus atmo-

atmoſphæræ ſingulis momentis temperandus, neceſſariò in acetum acrius abeat, & in omnibus humoribus per conſequens acidi coagulantis vires redintegret. Puto, hæc ſatis ſibi cohærere, & morborum horum originem & progreſſum mediocri ingenio ad oculum exponere. Nec enim, quæ *Helmontius*, ex confuſis ſpiritus vini & urinæ liquoribus, in cryſtallum concreſcentibus, ad explicandam calculi geneſin depromit, undique rei ſubſtratæ applicari poſſunt, cùm, ſalinum compoſitum in fluido lotii ſero concreſcere, impoſſibile ſit, & reſolutio calculi chymica terrei lentoris ab acido coagulati oſtendat abundantes reliquias, ac adeò Viri hujus eruditiſſimi nimium conſequentias nectendi pruritum, & præceps nonnunquam novitatis ſtudium ſatis arguat. Cura optimè perficitur medicamentis à cognita morbi cauſa indicatis: nimirum reſolventibus alcalinis ſulphurum anodynorum metallicorum connubio felicibus; hæc enim lentorem incidunt, acidum temperant, & dolores ſedant, ſine ullius orgaſmi & fervoris ſanguinis metu, nec more opiatorum, peſſimo conſilio adhibitorum, in ſedando dolore ſenſuum & optimæ officinæ organa defœdant. Oleum inſuper allegatum ex animali proſapia ſomniferum mirificè hîc ſuas explicabit dotes, tam intrinſecùs aſſumtum, quàm topicè illitum; quamquam hujus vices commodiùs ſuppleverit ſapo quidam chymicus, ex tinctura alcalina veneris & antimonii, & oleo juniperino lege artis compoſitus, ſtupendæ efficaciæ tam in ſedando dolore, quàm in reſolvendo

do tartaro, falſam reddens omninò hypotheſin de incurabili nodosâ podagrâ: podagram enim nodoſam in patiente morigero ſolvimus triginta ad minimum annos natam, & in cubitorum juncturis vel ovi mediocris magnitudine conſpicuam, ſed tractu trimeſtris temporis, & applicatis tam internis quàm topicis, ut & ordinatâ diætâ, quam è re videbamus eſſe, & obſecundante in omnibus illo, cujus res apprimè agebatur. Ac auſim aſſerere, nodosâ patientium conſuetudine tantùm podagram nodoſam fieri incurabilem: ſi enim iſti Heroës priùs devicerint gulæ, vini & hujus generis avidæ ut & iræ & libidinis conſuetudine ſtabilitas tricas, Medico inexplicabiles, non deërit Medico gladius, quo nodum podagræ ſolvat, nodoſa aliàs animi obſtinati, & dejecti ſub ſenſuum ſervitium, intemperie ſemper de novo nectendum. Vidi ſanè homines benè conſultis obtemperantes, qui exquiſita diæta ciborum boni ſucci, & humectantium, temperatorum, & acidum temperantium, ſine ullius medicaminis adjumento, anni ſpatio nodoſam podagram ſolvêre, nodis cretaceis ultrò excidentibus, & triumphato omni paroxyſmorum incommodo, Nec diffido, eadem methodo, adhibitis præprimis congruis medicamentis, calculum Veſicæ, quem, ceu ſolvi neſcium, gladio chirurgico illicò petunt, tractu temporis contritum & ſolutum iri; cùm, quod præter naturam concrevit ex humorum intemperie, rursùs in officina animali reſtaurata diſſolvi poſſe, ratio ſana evincat, cui patet, & ipſo calculo ſolidiora

mul-

multùm & duriora, ab animalibus devorata, quotidie resolvi; nasci etiam gangliorum nodos subcutaneos, ad ossium instar duros, & facilè sine cultro Chirurgi rursùs dissolubiles. Consultum saltèm putabunt, experiri hujus asserti veritatem, qui convicti experientiâ norunt, per manus Chirurgi maximo vitæ periculo quidem eximi posse calculum, sed non adimi regerminaturi calculi semen, quod depletos loculos communiter pristino onere infarcit, & novis violentorum remediorum cruciatibus locum relinquit. In temperamento lento & humidiori idem acidum volatile cerebri officinam occupans producit *apoplexiam*, *epilepsiam* & *paralysin*, ut & *spasmum ex nimia repletione* oriundum, ad differentiam illius spasmi, qui in emaciatis & arefactis febri corporibus ex defectu lymphæ & ex nimia *inanitione* producitur, præcipiti nimiùm judicio ab *Hippocrate* lethalis dictus. Impeditur nempè affluxu inertium humorum spirituum animalium in concoctione ultimâ generatio, &, succedente acido volatili, id quod restat variis obstructionibus subjicitur; quas obstructiones anima indignata amoliri intendens, convulsivorum motuum adhibet remedium, ac ita paroxysmo epileptico, vel spasmatico, nonnunquam rem intentam conficit, ac sui ipsius medicatrix evadit. Occasionem talium paroxysmorum externam, seu adventitiam, suppeditant non raro iræ ac timoris attoniti affectus, & animi impetus, vel concitantes, vel constringentes ulteriùs humorum lentorum fluxum, ut & phases novi- & plenilunii, quo

tem-

tempore omnes animalis officinæ humores augeri & intumeſcere, experientiâ conſtat, quod in cauſa fuit, ut dicerentur *lunatici* tali morbo correpti. Quod ſi verò obſtructionis ſubitaneæ violentia motu convulſivo diſſolvi ampliùs non poſſit, *apoplexia* in promtu eſt, vel totalis vel partialis, quâ anima, deſtituta atmoſphærâ ſenſuum lucidâ, à ſenſatione & motu locali, vel ubi vis, vel in parte obſtructa, recedit, non ceſſante interim flammæ culinaris & ſanguinis, debili licet, circulo, & remanente ſpe tollendi aliquandò impedimenti; ſin autem unà nervi ad cor & orificium ventriculi propagati obſtructionis vitio corripiantur, quod, ob caloris & continui motus beneficium, non niſi in extremo apoplexiæ gradu evenire poteſt, omninò recedit è ſua culina indignata & nauſeabunda anima, ac, ſiſtens reſpirationis flabellum, ignem culinarem ſuffocat, corpusque morti & diſſolutioni relinquit. Si denique ex abundantia lymphæ, & penuriâ ignis culinaris, ut & ſpirituum animalium exili ſupellectile, tendines muſculorum & ligamenta, inſtrumenta & baſes locomotivæ, nimirum oſſa, conſtringentia & obfirmantia nimiùm laxentur & inepta reddantur, quieſcit anima à locali motu naturali, & ſenſationi utcunque adhuc vacat, unde *paralyſis*. *Contractura* autem, ſeu *ſpaſmus ex inanitione fixus*, ex conſumtione humidi potiùs deducendus eſt, & alîus morbi deprehenditur productum & ſymptoma, cujus curandi ratio ex ſuprà dictis facilè patebit, prout priùs conſtiterit Medico, an calori reſol-
venti

venti & depopulanti, an verò conſtringenti acido Saturnino cachectico malum hoc acceptum ferendum ſit. Hanc de naturalium cauſarum nexu morborum horum atrociſſimorum ſententiam non eò rapi velim, quaſi, nunquam aliquid ſpiritualis malitiæ & violentiæ diabolicæ immiſceri poſſe, perſuaſus ſim, aut ſcripturæ, convulſionum diabolicarum tragœdiam in hiſtoria evangelica enarrantis, fidem infringere præſumam, tantum enim abſum ab hac inſulſa philoſophia, ceu ſatis conſtitit, ut omnem motum localem corporis unicè vitæ ſpirituali & incorruptibili adſcribendum putem; ac, adſcribendum omninò eſſe, infrà mathematicè demonſtrare adhuc deſtinaverim. Cura horum morborum impoſſibilis non eſt, nec adeò difficilis, ſi principiis obviàm eatur. Conducunt, præter ea omnia, quæ præcedentis immediatè paragraphi *arthriticis malis* oppoſuimus, hîc apprimè vomitus, & purgatio per alvum, ad imminuendum humorum lentorum onus; conducunt inſuper aromatica calida & analeptica odorifera, ſi ſexus ſequior, uteri ſimùl ſtrangulationibus & motibus epilepticis obnoxius, ferre queat; ac denique maximè curam felicem accelerant extrinſecùs caloris ſenſu affligentia, & capitis raſi cutem vi cauſtica arrodentia, qualia & ſpinali medullæ applicari convenit: anima enim doloris ſenſu in loco obſtructo irritata, & vires omnes in hoſtem adventitium colligens, per accidens lentos humores diſſipat & obſtructionem tollit. Non narro fabulas, ſed rem multiplici experientiâ

comprobatam, adeò, ut vel una nocte epilepticus, mutus, ſenſuum inops, & memoriæ impotens, cauterio tali potentiali, capiti & ſpinali medullæ applicato, ſit quaſi è mortis faucibus ereptus, & paucis diebus integræ ſanitati reſtitutus, quem parentes & agnati abjecerant, & cui mortem, ceu unicum mali remedium, apprecabantur. Idem ſenſerunt levamen non una vice apoplexiâ tacti. Paralyſis autem ſimplex, ut & membrorum atrophia, vel ſolo ſuprà indicato ſapone breviſſimo tempore faceſſere jubentur. Cui experiri volupe ſit, mirabitur ingentes horum medicamentorum dotes, & fortè candorem noſtræ liberalitatis, in bonum publicum erogantis ea, quæ lucri cupiditas aliàs omni ſtudio occultanda, aut, ut gloriæ captandæ non omninò deſit locus, apparatu ſermonis ænigmatico, ne Oedipo quidem propalanda judicat. Reliquum morborum coagulantium ſiſtere, prohibent ſtati diſſertationis limites, & dicta facilè cuivis mediocriter ſcientiâ medicâ tincto ad cognoſcendum aliorum morborum genium viam aperient. Locus fortè adhuc dandus fuiſſet ignominioſis generi humano, ne dicam Chriſtianiſmo, *morbis venereis*, partim ex tumentibus acido glandulis, quibus violento & pudendo exercitio atmoſphæra ſpirituum animalium lucida ſubducitur, partim à putrido & reſolutivo ſcorbuto, ex bile & ſanguine, æſtu tali ſale volatili privatis, orto, oriundis, quibus endemicè ubivis graſſantibus hactenùs decocto lignorum, & reſolutiva ſalivatione, medela quæſita eſt; ſed præſtat, re-

lin-

linquere putrida, & medicamine ſuppeditato peccandi conſuetudinem non fovere. Id ſaltèm in tranſitu indicandum puto, temperamentis acido peccante gravatis non facilè metuendum de peſte & aliis reſolutivis infectivis, nec facilè eadem infeſtari puſtulis & deformitatibus ſubcutaneis, niſi fortè glandulæ acido graviore & fixiore onerentur, idque alicubi, ruptis & eroſis repagulis, effundant; tùm verò oriuntur ingentium dolorum, & calloſarum protuberantiarum carcinomata, cancri, fiſtulæ &c. quibus ferro & igne ſuccurrere hactenùs conſuetudo obtinuit, aut, præpoſtero molimine, acidis erodentibus mali ſerpentis circulum admodum promovere. In faucibus (quod, ob glandularum multitudinem, ſæpius accidit) ſi hæreat malum, curatu difficillimum eſt, ob continuum affluxum ſalivæ, humore ſuo acidiuſculo omnem topicorum efficaciam diluentis; aliàs in tempore adhibita cura Medici naturalium periti demonſtrat, malè hic, dimiſſis pharmacis, extrema ab Hippocrate inſinuata remedia in auxilium vocari, quæ quidem, ob dilatatas mali radices, plerumque fruſtranea ſunt, regerminante nempè nova propagine, & monſtrosâ hydrâ abſciſſi capitis truncum, reſtauratis diris faucibus, brevi ſupplente. Ac pharmaco demùm reſtitutos novi nonnullos, quibus per quatuor & plures annos ferratæ & corroſivis ignitæ Chirurgorum manus, bis vel ter repetitis inciſionibus & inuſtionibus, ex dolore dolores & ex cancro cancros fecerunt; nec defuit confuſæ impudentiæ effugium, factâ conſo-

lidatione, carcinoma fuisse pernegantis, licet id, ut tale, adhibitis etiam omnibus tormentis inexpugnatum, ipsimet declararint, ac frustratis omnibus suæ artis remediis satis senserint. Quis enim putaret, Chirurgorum & Doctorum selectissimorum conventum tot annos frustrari posse in curando anthrace, vel nodo quodam glandulari adventitio, doloris experte, & quis etiam methodum adhibitam excusaverit, si non ex eorum sententia carcinoma fuerit ferro & igne detruncandum? Tantum confusionis invexit axioma, quo artis medicæ penuriam occultare, & suæ æstimationi, non rei veritati prospicere satagerunt præcipites regularum fabricatores: nam definitô prius, *quod carcinoma per pharmacum sit incurabile*, & declarante omnium Medicorum & Chirurgorum ore, patientem hunc vel illum decumbere carcinomate, facta demùm restitutione ægri, pernegabunt omnes, carcinoma fuisse, *quia pharmaco curatum sit.* Regulas ergò deducunt non ex rebus & experientia, sed ipsam rei veritatem & experientiam suis regulis constringere & evanidam reddere audent, quô quid effrænius & impudentius fingi possit, non video. Et hæc quidem, de præcipuorum morborum origine, differentiâ & curandi methodo, ex propositi filo deduxisse, sufficiat.

11. Ex dictis ultrò liquet, quantum expediat, artis chymicæ beneficio devenire in causas tam morborum, quàm in indolem applicandorum medicaminum, eorumque præparationem genuinam, quâ ipsius animæ, variis solutionibus & depu-

depurationibus, ignis & liquorum ſolventium adjumento, ſuum cibum decoquentis indefeſſum ſtudium ſublevatur, & talis medicina exhibetur, cui reſolvendæ & à fæcibus ſeparandæ non novus depoſcitur labor, & quæ ſe liquoribus officinæ animalis blando conjugio immiſcet, ac defectum inſtrumentorum labantium commodùm reſarcit. Sed, anne Chymiæ ſecretioris conatus in præparando medicamine unico, omnibus enumeratis morbis ſuccurſuro, non vanus & nugatorius dicendus ſit? non abs re quæreretur; cum tantis buccinis deprædicetur à multis Viris, eruditione & rerum experientia conſpicuis, univerſalis lapidis, ceu vocant, Philoſophici virtus medica, tantis itidem abſurditatibus & dicteriis à non infimæ ſortis Medicis oneretur incomprehenſibilis rei hypotheſis, adductis utrinque rationibus, quæ faciles, pro ſtudii indole, inveniunt applauſores. Ex noſtra quidem partitione, qua omnes omninò morbos à reſolvente nimiùm, vel conſtringente principio (ſuffulti, ut opinamur, rationibus ex totius naturæ & ex ipſius œconomiæ animalis apparatu depromtis) deduximus, ad binarium numerum utcunque reduci poſſe infinitorum ferè medicamentorum farraginem, in aprico eſt, ſi utriuſque generis optimum & efficaciſſimum ad ſummum puritatis & activitatis gradum lege artis exaltatum fuerit; ſed quî diverſa hæc & contrariæ in operando indolis medicamenta bina in unum coïre poſſint, ſalvâ in utramque partem agendi potentiâ, intellectu videtur impoſſibile, ac, ſi iſtud fortè

comprehendi ab artis perito queat, omninò inutile & ridiculum deprehendetur in reſtituendo ægro, cui nimirum vel diſſolvendo vel conſtringendo moleſtum ſit oportet, quia in utramque partem aculeos dirigere, aptum natum eſt; cùm unus intereà morbus unum requirat medicamen extirpando ſemini morbifico contrarium, & ægræ animæ amicum. Sed nodo huic duro non deërit omninò gladius ſolvendo, ſi æquus rerum æſtimator, & naturæ metallicæ non imperitus expendat vim & indolem anodynam, quâ metalla, præprimis omnium fixiſſimum & ſolidiſſimum, aurum, fluctuantes & nimia diſſolutione errantes humores colligunt, ac ſub ſuam ſphæram coarctant, ut exinde blando obducto ſomno & ſuavi requie anima demulceri, ac deſtinata ſibi munera non impedita rursùs ſubire queat: agunt enim id non conſtringendo vaſa, neque coagulando nimiùm fluida, neque narcotico frigore ignem culinarem, & atmoſphæram ſpirituum animalium lucidam obnubilando, quibus dotibus mortiferis opium ſuo officio fungitur; ſed flammam culinarem, pabulo, grato quidem, ſed incorruptibili & non diſſipabili, ſatiando, ac infenſo tum temporis animæ hoſti talem offam objiciendo, cui maſticandæ & deglutiendæ mora impendenda, & quæ ipſa igneum iſtum furorem ſuis retibus implicare & captivare apta eſt; quod ex phoſphori, ceu reſuſcitati ignis animalis, & auri connubio artis peritis facilè conſtare poterit: Stato igitur hujus graſſatoris & concitati motoris impetu exceſſivo, tranſpi-

ratio

ratio nimia lymphæ & ſpirituum nobilium ultro faceſſit, animaque potitur rursùs vehiculis & inſtrumentis, quibus noxam eliminare, & confuſa in ordinem redigere queat, ſui ipſius ſat perita & valida medicatrix. Demus ergò, iſtud aurum ſolvi radicaliter in liquore omnium *medicamentorum diſſolventium* potentiſſimo, & ad eum puritatis gradum deducto, qui cum ultimæ concoctionis animalis cibo luminoſo ſymbolizet; iſtumque liquorem luminoſum & ſubtiliſſimum virtute ipſius auri collectiva, & artis adminiculo per diutinam circulationem in fixam ſubſtantiam ſalinam, & omnibus liquoribus miſcibilem, rursùs conſtringi (quod poſſe fieri, nec rationi nec artis experientiæ repugnat) præſtò erit medicamentum omnibus nodis diſſolvendis, & omnibus orgaſmis ſiſtendis aptiſſimum: nam nec diſſolutiva & inciſiva virtus ita amittitur, nec colligendi liquores fugitivos & captivandi flammam culinarem poteſtas auri deſinit, nec operatio contraria ſibi impedimento eſt, cùm, quantum collectiva vis anodyna ſuo muneri vacat, tantum inciſiva ſolventis virtus, nunc multò auctior & ſtabilior, quia fixior & exhalationi minùs obnoxia, totum liquorum animalium circulum pererret, ac omnia officinæ inſtrumenta animæ illibata ſiſtat. Ut taceam vim auri genialem & ſpecificam in refocillando & illuminando omnium analepticorum, ambræ, zibethi, moſchi, perlarum & coralliorum concurſum multis paſſibus tranſcendentem, quâ reverà in microcoſmo vices ſolis macrocoſmi ſubit, & hinc

optimo jure à ſapientiæ antiquæ alumnis Solis ſymbolo donatur. Scio equidem hæc minùs noſtris corpuſcularibus arriſura, qui nullas ſpirituales dotes corporum admittunt, & omnia particularum mathematicarum circulis & angulis vindicant, in explicandis naturæ dotibus; ſed ſcio ſimul, ſocordem negligentiam & rerum chymicarum imperitiam tales ipſis ſuppeditaſſe hypotheſes, illicò in auras abituras, ſi vel primoribus labris deguſtaſſent ſaltèm metallorum dotes geniales, ope Chymiæ in apricum deductas. Metalla nimirum, omnis odoris & ſaporis, ſibi dum relinquuntur, expertia, igne liquabilia, malleo ductibilia, ope tandem unius ignis vel in calcem vel in vitrum redacta, & eodem liquore ſolvente reſoluta, verbi gratia aurum, argentum, ferrum, cuprum, plumbum, ſtannum, deproment ſapores, odores, & operationes medicas contrarias & diverſiſſimas. Dicent, ſine dubio, ex figuris particularum componentium diverſis hanc oriri diverſitatem; ſed, ſi ita ſit, unde idem ſolvens homogeneum, & in ſe ex certæ configurationis particulis conſtans, aptum eſt, diverſas & contrarias particulas eodem modo diſlocare, & ſub tranſparentis liquoris forma ſibi unire? Id ſanè ſi mathematicè demonſtraverint, erunt mihi magni Apollines: præprimis, ſi nova quæſtione urgeantur: quare nimirum hic liquor ſolvens corpus hoc ſolidiſſimum, verbi gratia, aurum diſſolvat, & argentum cum Mercurio vivo, minoris ſoliditatis corpora, intacta relinquat, cùm gravitas, homogeneïtas & puritas

ho-

horum corporum ferè eadem ſit, & particularum figura & cohærentia non adeò, per conſequens, diverſa. Hîc ſanè ex hypotheſi regerant, oportet, oriri diſcrimen ex diverſitate particularum ſolventis aquæ regiæ, & ſolvendorum corporum; ſed ſic, per conſequens, unum ſolvens non poterit ſolvere niſi corpora texturâ particularum tam menſtruo, quàm ſibi ipſis correſpondentia; ergò, ſi unum menſtruum ſolvat omnia metalla, evictum eſt, metalla eſſe in ſuis particulis componentibus ejuſdem configurationis, aut, ſi hoc non admittatur, falſa & ridicula eſt ratio ſuppeditata in problemate ſecundo, aquam nempe regiam non ſolvere argentum & hydrargyrum, ob texturæ utriuſque diverſitatem. Ut taceam, quòd agendi modus, quo ſolvens liquidum corpus ſolidiſſimum, & in omni ignis culinaris diſſolventis tortura indomitum, diſcerpit, & ſibi per minima innatare facit, noſtris corpuſcularibus ex matheſis hypotheſibus ſit inconceptibilis, multo minus demonſtrabilis: quaſcunque enim ſibi fingant acutas & mucronatas menſtrui particulas, & quàm amplos ſibi ſtatuant auri ſolidiſſimi poros, quibus mucrones intromittantur; hærebit quæſtio, quo pondere cunei in findendum aurum adigantur, & ſi cuneus cuneum aëris beneficio premere dicendus ſit, ceſſabit omninò diſſolutio, quæ potiùs ex calida rarefactione quàm compreſſione menſtrui, ceu patet ad oculum, locum ſortitur, partibus abraſis illicò in circulum agitati confusè ſolventis abſorbtis; ergò dicendum erit, prunas

ſuppoſitas vi caloris cuneos & mucrones in corpus ſolidiſſimum impingere, & ita motu circulari atterere, agendi modo in tantum comprehenſibili; ſed & id ſuos patitur manes, cùm, antequam menſtruum ignem ſentiat, in frigido adhuc in corpus diſcerpendum agat: unde quæsò hîc motus, cuneorum director, & unde motûs in frigore incrementum, eò uſque in quibusdam metallis productum, ut calida inde vitra vix manibus tenere queas? Cunei certè à corpore ſolidiſſimo findendo non moveri poterunt, ſed ſiſti potiùs in motu, poris corporis implicati, nec motus ab initio remiſſior concitatioris motûs per matheſeos leges auctor eſſe poterit; cùm motus, ab agente fortiori primo corporibus mobilibus impreſſus & communicatus, in progreſſus ſui tractu non augeatur, ſed pedetentim minuatur, & nova intervenientia mobilia ſemper tangentis prioris impetum reactione ſua infringant. Sic, cùm pilas multas in canale quodam certâ diſtantiâ diſpoſitas, adactâ primâ ad ſecundam, impellis, ſecunda feriet tertiam, tertia quartam, ſed motu & impetu ſemper in progreſſu debiliori, & tandem prorsùs langueſcente & deſinente. Ut proinde mathematicâ evidentiâ homini ſano pateat, motum tam ignis culinaris, quàm ignium potentialium, liquorum nimirum ſolventium, appoſitione corporum ſolidorum, & infringentium aliàs motum, ex ſe ipſo in progreſſu auctum & concitatiorem, nullatenùs eſſe mathematicum, à figurali corporum contactu dependentem, ſed vitalem & ſpiritualem, affectu cujuſdam famis & deſi-

desiderii concitatum. Ac ego quidem *Magnum* nostrum *Coum*, ignem sensu & intellectu praeditum esse, asserentem, ut & Persas *Solem* & ejus sobolem *ignem*, in defectu cognitionis veri Dei, religioso cultu venerantes, adeò insipidos sapientes non dixerim, ac deprehenduntur nonnulli superciliosi & superficiarii nostri temporis operum divinorum & naturalium scrutatores, qui, dum omnia se in promptu habere credunt, ipsis talpis deprehenduntur magis cœci, si praestratae hypotheseos & fidei philosophicae articuli rationem reddere jubeantur; nam ne quidem principium motus mathematici unquam invenient, ceu posteà videbimus, in quo explanando omnis matheseos apparatus non evanescat: cùm gravitas, durities, aëris rarefactio, compressio, motus ignei caloris & animalis viventis, quibus demùm praesuppositis Mathesis & animal mathematicum instrumenta sua determinatis numeris & figuris jungit, affectiones sint Mathematico nunquàm introspectae, nec in aeternum ex natura corporis deducendae. Sed redeamus in orbitam demonstrationum medicarum. Soluta ita in eodem liquore solvente metalla singula (nam, omnia in eodem posse solvi, per experientiam constat) ostendent effectus, ex demonstratis, nullô modô corporum texturae debitos. *Plumbum*, quod *Saturnum* non sine ratione dixerunt veteres, impensè refrigerabit ac languidos reddet omnes venerei appetitus stimulos, vel ore haustum, vel genitalibus applicatum; adeò, ut illaesa sanitate, vel integer annus elabatur sine ullius tentiginis sensu, vel bre-

vius

vius etiam & longius tempus, pro quantitate applicati medicaminis. *Stannum*, quod ob ingenii indolem *Jovem* nuncuparunt, temperando calori excessivo, & humectando corpori operam eximiam navat, eaque de causa *anthecticum* præstantissimum deprehenditur, non tamen adeò, ac saturnus, soboli procreandæ inimicum est. *Cuprum*, quod *Veneri* sacrum esse voluerunt, assumtum fortè vomitum movebit, ob constrictivam facultatem in corrugando ventriculo explicatam, sed intereà calefaciendo, vel potiùs spiritus animales & subtilissimum quodvis colligendo, pudendæ titillationis incitamentum erit maximum. *Ferrum*, quod *Marti* dicarunt, ejusdem cum cupro ferè est efficaciæ, nisi quòd fortiori adstrictione plùs roboris inducat, ac ita colligendo humores exhalantes optimos, circulum in vasibus liquidiorem reddat, & sic simul tenacissimis vasium tenuium obstructionibus felicissimè medeatur. *Hydrargyrum*, quod fugaci ac versipelli *Mercurio* assimilarunt, nisi magno negotio ad fixitatem, & sic ad indolem ipsius auri perductum sit, ingentium turbarum dissolutivarum est seminarium, ac, nisi modicè adhibeatur, totius animalis compagem dissolvere aptum natum est. Vidi sanè cadaver ex apoplexia deliri, quem aliàs non infimæ eruditionis & notæ Medicus per salivationem crebriùs repetitam ad sensus fixiores reducere intendebat, adeò fluidum & dissolutum ex medicamine, ut, ossa sine magno negotio manibus conterere, integrum fuisset, totius massæ sanguineæ & musculorum colore rubro

bro ſub pallidæ lymphæ ſtagno occultato. Unde & heroïbus noſtris, ſalivatione aliquoties deſpumatis, tandem oſſa ipſa ſpongioſis tuberculis & tophis medullam quaſi exſpuere deprehenduntur, non tam morbi, quàm medicaminis adhibiti fructibus. *Argentum*, quod *Lunæ* ſubjecerunt, lunares omninò oſtendit vires in colligenda & augenda lympha tenuiore, & in temperando calore depopulante, prodeſt ergò impensè *Phreneticis* & *Maniacis*, & nonnullis, quibus ex nimio calore & nervorum ſiccitate convulſiones ſpasmaticæ, epilepſiam communem æmulantes, & facietenùs repræſentantes, oriuntur: ac ſic per accidens itidem non contemnendam navat operam in ſubducendo hydropis onere, quia, collecta copioſiore lympha tenui, acidoſalſum hydropicorum ſtagnum excipit, & fluidius reddit, quò faciliùs ab anima expelli poſſit. *Aurum* denique, *Sol Philoſophorum* pariter ac reliquorum omnium (nam in lumine & ſplendore ejus ubique exultatur) omnes metallorum perfectiones ſub ſuam ſphæram contraxiſſe, vel potiùs, ceu ſol inter planetas, reliquis communicaſſe videtur, quicquid boni poſſident. Hujus clauſtra firma qui rumpere, & ſalutari lavacro dotes congenitas excipere, compos erit, reverà *Jaſon*, ceu *Medicus* monſtrorum domitor evadet; ſed comite *Hercule* expeditio *Colchica* ſuſcipienda veniet, nec laborum impatiens *aurei velleris* ſpolia, & juventutem Æſoni reſtituentia *Medeæ* medicamenta unquam deportaverit. Plura adhuc, & ferè innumera, circa metalla & mineralia in conſpe-

ctum

ctum veniunt, quæ ex textura particularum, & motu mathematico explicari nequeunt. *Saturni* & *Martis* tanta deprehenditur inimicitia, ut, licet in eodem ſolvente ſeorſim ſoluti ſint, confuſi maximas turbas excitent, & nonnunquam flammas fundant; neque in igne aperto confundi poterunt, etiam intenſiſſimo, quin Mars peculiarem ſibi capiat locum. Sic & Jupiter in igne intenſiore non patitur Saturni connubium, ſed collectus in cineres è profundis liquefacti plumbi emergit, & ſuperficiëi innatat. Sunt, ceu dictum eſt, liquores ſolventes varii generis, qui itidem inſignem oſtendunt ſympathiam, & antipathiam in metalla ſolvenda. Acidum ſulphuris mineralis, vel ex ſulphure inflammabili vel ex vitriolis & aluminibus collectum, amico amplexu ſolvit Lunam, Mercurium, Martem, Venerem, Jovem; ſed plumbum averſatur & aurum intactum relinquit. Spiritus nitri, ſeu aqua fortis ſolvit omnia, præter aurum. Spiritus ſalis communis Martem, Venerem, Jovem & Saturnum ſolvit: aurum, Lunam & Mercurium reſpuit; aurum tamen, ſi pauco ſpiritus nitri affuſo, vel quarta ſui parte ſalis armoniaci duplicetur, viribus auctus devorat. Ex mixtura horum liquorum rursùs varia emergit in ſolvendo diverſitas, ut & ex combinatione ſalium quorundam. Sal armoniacum, & ſublimatus Mercurius, aquâ diſſoluta ſimul, &, abſtractâ aquâ, in ſal fuſibile redacta, exhibent ſolvens in frigore ſiccum, quod omnia ſine diſcrimine metalla ſolvit: in iſto ſanè ſolvente particulæ acidi jam ſoluto

cor-

corpori Mercurii, & ſalis volatilis urinoſi grato cibo implicatæ ſunt, & nihilominus plùs efficiunt, quàm acida acerrima liberrima ſpicula vibrantia. Sic & acida concentrata & à phlegmate liberata vegetabilinm, nullius ferè, reſpectu mineralium acidorum, acrimoniæ, & quibus ſine incommodo fauces & dentes lavare poteris, verbi gratia, ſpiritus mellis, ſacchari, roris, acetum ligni quercini, vel ſancti, indiſcriminatim omnia metalla lento gradu ſolvunt, ſi in ſolidioribus prævia calcinatione viam paraveris, cujus indolis & efficaciæ nullum homogeneum ex mineralium cohorte facilè inveneris. In ſolventibus alcalinæ naturæ eadem luditur diverſitatis fabula, ut acuto opus ſit opifice, qui ex mechaniſmi legibus particulas ſuppoſuerit, & agendi modum ex textura illorum & figura explicaverit: nam duo liquores, qui ſe mutuò deſtruunt, ceu potiùs amico vinculo intricant, ut neuter ampliùs talis ſit qualis fuerit, ac, combinati, nullas etiam ampliùs in ſolvendum corpus metallicum vires, utpotè ſuo utrinque cibo ſaturati, exſerant; ſeorſim uterque idem metallum diſſolvent: Sic lixivium ex cineribus clavellatis ſolvit calcem Saturni, ſolvit eandem calcem ſpiritus nitri acerrimus. Ex confuſo utroque liquore & abſtracto prodit rursùs nitrum puriſſimum, quod ſi, aqua diſſolutum, affundas calci Saturni, intactam eam relinquet. Suppone tibi jam ſpicula utriuſque liquoris quæ velis, particulis & poris plumbi correſpondentia in ſolvendo, ac porrò explica, quomodò hæ particulæ ſibi unitæ figu-
ram

ram amiſerint ſolvendo plumbo aptam ; videbis illicò, te in luto hærere: nam diverſæ omninò & contrariæ figuræ ſtatuas, oportet, particulas, quæ ſe ita amplectuntur, ut utriuſque partis figura priſtina obliteretur, & diverſis his ac contrariis figuris nihilominus in eaſdem plumbi particulas eandem vim ſolvendi attribuas. Alcalina volatilia animalium ſolvunt & extrahunt aurum, ferrum, cuprum, plumbum aliquatenus præparata, argentum & Mercurium nunquam attingunt. Olea itidem deſtillata & probè rectificata, tam animalium, quàm vegetabilium, in aurum, Jovem, cuprum & Saturnum agunt ſolvenda, neglectis reliquis.

12. Hæc mirifica & inexhauſta miſtionum diverſitas circa metalla & mineralia, & liquores eorum ſolventes igneos, producit in conſpectum medicamina, quibus enarrandis & evolvendis multum operæ & chartæ depoſceretur; licet curioſis rerum naturalium indagatoribus non omninò ingratum fore confidam, ſi, quæ circa talia notavi ſatis ſtupenda & inſolita experimenta communicavero; ſed cùm jam, brevitati ſtudere, certis de cauſis propoſitum ſit, in diem commodiorem ſpecialiora enarranda ſuſpendam, ſaltem ea, quæ de medicina univerſali delibare & ſuggerere viſum fuit, inſigni quodam ſapientiæ antiquæ teſtimonio hîc adhuc confirmans & illuſtrans, quod eò gratiùs à veritatis ſtudioſis arripietur, quò ſolidiùs & apertiùs non ſaltem rei tactæ veritas in eo aſſeritur, ſed & ſimul modus præparationis tanta ſententiarum gravitate & dexterita-

te

te aperitur, ut omnia ſequentium ſeculorum effata, reſpectu hujus, meritò dixeris Sphingis ænigmata, non tam erudientia quàm illaqueantia lectores incautos, & tantæ ſcientiæ nimiùm cupidos. Senem noſtrum audietis, magnum Hippocratem, mirando planè modo tanti momenti rem verbis, ut ſolet, quàm breviſſimis, ſufficientibus tamen & prægnantibus, enarrantem 1. *libro de Diæta*, &, lectis his, facilè nobis conſentietis, in præfatione ſecundæ partis noſtri *Hodegetæ ad amiſſum Vrim & Thummim* aſſerentibus, *plus adhuc in Veteribus ſolidæ rerum naturalium cognitionis amiſſum & ſepultum jacere, quàm noſtri ſeculi glorioſi nimis buccinatores reduxerunt, imò vel unicum noſtri Senis Aphoriſmum plus ſapientiæ & ſolidæ eruditionis continere, quam univerſus omnium Mechaniſtarum apparatus unquam deteget, ineptus, falſus & ſuperficiarius.* Χρυσίον, *inquit*, ἐργάζοντες κόπτουσι, πλύνουσι, τήκουσι πυρὶ μαλακῷ, ἰσχυρῷ δὲ οὐ συνίσταται. Ἀπειργασάμενοι πρὸς πάντα χρῶνται. *Qui aurum ad opus adhibent, contundunt, lavant, liquefaciunt igne ſuavi ſeu blando, nam igne fortiore non coit, vel conjungitur. Quod opus ſi ad finem perduxerint, ad omnia uſurpant.* Myſtica ſunt verba, quæ ſi intellexeris ſenſu trito, ſtultitiæ omninò & craſſæ inſcitiæ notam inures illi, cujus ſapientiam & rerum experientiam ſtupet & unanimi ore prædicat omnis hactenùs eruditorum chorus: nec enim aurum in mortario contundi valet, nec lavari opus habet, nec igne leni, ſed fortiſſimo potiùs eliquatur & funditur, nec, ita fuſum, alicujus in medicina uſus

H eſſe

esse potest. Interim vereor, ne subsequentium ævorum cœcitas, à rerum experientia ad inanes verborum apparatus deflectens, sensu vulgari non una vice talia arcana extulerit: *Galenus* enim, Hippocrati comparatus, non tam Medicus quàm rceeptiuncularum compilator, & in qualitatibus primis hærens disputator, sine dubio absurdam illam & experientiæ adversam ex *Hippocrate* perperàm intellecto hausit sententiam, quâ *cap. 5. in Lycum* aperta suæ inscitiæ prodit argumenta, inquiens: *Ignis non differt ab igne nisi majore vi, ac minore: infirmissimus est, qui ex paleis conficitur, quare ad conflandum aurum accommodatus est, eò quòd aurum absumatur & diffluat, si validiorem flammam sentiat.* Egregia sanè & digna, quæ cum suo scriptore palearum ignem infirmum eò usque sentiant, donec ex igne doctior & instructior prodeat Philosophus, & aurum non tam liquabile, fugax & volatile, quàm sunt veritates pleræque Galenicæ, experimento deprehenderit. Nec propiùs Senis intentionem assecuti sunt ex hodiernis Chymiæ cultoribus illi, qui per ignem blandum & fortem gradus ignis exterioris & culinaris, in opere observandos, indigitatos volunt: nam quod solvetur & liquabitur igne remissiore, multò magis liquabitur per intensiorem, quô circulus & activitas menstrui solventis necessariò intenditur: nisi per τὸ ἐ συνίςαται, fugacitatem compositi indicare, & dispersioni ejus præcavere voluisse putandus sit *Hippocrates*: qualia in conflando auro solido sibi metuebat Galenus eventura, & hinc, vanâ curâ, ignem palearum, tanquam tutissi-

tissimum, aurifabris commendabat. Sed dabimus genuinum ænigmatis hujus Hippocratici sensum, quem novimus rei substratæ esse consentaneum, & quem aliquô judicio & experientia chymica pollentes tali auctore dignum dicent, & allegatis verbis adeò concinnum, ut aliter explicaturus nunquam non extra oleas vagari deprehendendus sit. *Qui in auro laborant*, & mediante hoc nobilissimo metallo ad summum medicinæ apicem assurgere contendunt, primò *contundunt illud*, seu redigunt in calcem & pulverem subtilissimum, non in mortario, diducitur enim in bracteas, non comminuitur, sed per liquores corrosivos & calcinantes; è quibus rursùs lege artis colligitur, & hinc, secundò, istud *lavant* artifices, vindicantes nempè, ope aquæ & ignis, ab acrimonia & salsugine aurum istud contusum, ne quid noxii & peregrini compositum physicum subintret. Aurum istud lotum, tertiò, *solvunt seu liquant igne suavi & blando*, id est indissolubili vinculo conjungunt cum solvente potiùs luminoso quàm igneo, ceu cum tali igne potentiali, cujus partes luminosæ oleosæ & alcalinæ partes acidas & corrosivas longè superent, & hinc dulci & suavi sapore linguam afficiant. Notam verò fuisse Hippocrati hanc philosophiæ antiquæ hypothesin, & ignium potentialium naturam, ex eodem ejus libro videre est, ubi ait: Ξυνίςαται τὰ ζῶα, τάτε ἄλλα πάντα, καὶ ὁ ἄνθρωπος ἀπὸ δυοῖν, διαφόρων μὲν τὴν δύναμιν, συμφόρων δὲ τὴν χρῆσιν, πυρὸς, λέγω, καὶ ὕδατος. *Constant animalia, & reliqua omnia, ut & ipse homo, ex duobus, po-*

tentia quidem diverſis, ſed uſu concurrentibus, igne, puto, & aquâ. Deſignat nempe principia rerum corporearum, quæ quomodo ex igne & aqua conſtent, à nobis alibi fuſiùs explicatum eſt, & infrà quoque attingetur. Solvi ergò vult aurum radicaliter in liquore igneo ſuavi & blando, nam cum corroſivo, *ceu igne fortiori*, pergit, *non coit*, non unitur, non conſiſtit, & coagulatur, ceu figitur, omnes enim has circumſtantias in voce ſignificantiſſima συνίςαται, uno complexu indigitare voluit; & experientia effatum iſtud abundè confirmat, quâ nunquam liquor corroſivus & acidus cum metallis ita coit, quin metallum rursùs in pulverem præcipitari & ſeparari valeat, nunquam etiam ita coagulatur & figitur, quin in examine devoratum corpus rursùs deſerat, & in auras abeat. Sed, ut porrò indicet, non vulgaris laboris & patientiæ rem eſſe, tale opus ad finem optatum perducere, non ſine graviſſima ratione verbum ἀπεργάζεσθαι adhibet; feſtinandum ergò lentè, & expectanda medicinæ debita perfectio, antequam *ad omnia eandem adhibere* contendas. Ad omnia tamen adhiberi poſſe Hippocrates noſter credidit, & ſine dubio experientiâ edoctus talia aſſeruit. Reſtringas, ſi velis, τὸ πρὸς πάντα tantum ad uſum medicum, & dicas, deſcripſiſſe Senem Elixir non poly- ſed pantochreſtum, vel latius etiam evageris, & credas, ſimul transmutationis metallicæ fructum, ad res gerendas apprimè commodum, ab eodem inſinuari; mechanicè tamen alterutrum, vel utrumque fieri poſſe, non percipies, ſed potiùs ex mechaniſmi legi-

legibus aſſertum hoc, ceu ſtultum & impoſſibile ridebis; dignus tamen qui rursùs ridearis ab iis, quorum manus oculatæ ſunt, & qui iniquo non poſſunt non ferre animo noſtri ſeculi ſortem miſerandam, quâ in pluſquàm cimmeriis tenebris de luce & ſplendore veritatum naturalium gloriamur, & crepundiarum ludicros apparatus, cum bimulis, pluris facimus, quàm ea, quæ nunquàm non poſſunt eſſe proficua.

13. Si ad eundem modum ſpecificorum vegetabilium innumeram ferè diverſitatem & operandi modum oculis ſubjicere pateretur inſtituti circulus, oppidò victas dare cogerentur manus, quotquot particularum & figurarum figmentis naturam hactenùs defœdarunt magis quàm illuſtrarunt. Sed cùm, eos experientia particulari ſtringere, & in veritatis amiſſæ ſemitam reducere, ferè vani ſit conatus, quamdiu ipſa Philoſophiæ receptæ fundamenta prima non denudata in conſpectum prodeunt, ab omnibus ſanæ mentis tùm reſpuenda & ſibilis excipienda, decrevimus ſubſequente peculiari capite pulverulentæ pugnæ inire campum, diſpecturi, quibusnam funiculis ex arena nexis totum ſyſtema corpuſcularis philoſophiæ cohæreat. Non id nobis vitio vertent viri hujus ævi eruditi & probi, qui faſcinati Coryphæorum ingenii acumine nomina ſua dedére talibus placitis profitendis ac docendis, ac, nimiùm ſecuri veritatis philoſophicæ, de novis ſubinde inventis, ex ſuis hypotheſibus explicatis, orbi eruditorum gratulati ſunt, & adhuc gratulantur: videbunt enim hi, candido nos duci veritatis inquirendæ

& propalandæ ſtudio, nec ſugillare ea, quæ non abſona eſſe prius evicerimus, nec ſuppeditare alia, quæ non ſana ratio ſibi relicta rebus conſentanéa eſſe poſſe, deprehendat, ac cum religionis chriſtianæ ſimul principiis facilè combinare queat. Una enim, ſibi per omnia conſtans, & ab uno fonte promanans eſt rerum concipiendarum veritas, ſicut omnia ſuum eſſe habent ab uno creatore propagatum: ac, ſicut impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe, ita impoſſibile eſt, idem eſſe verum theologicè, quod ſit falſum philoſophicè, vel idem falſum philoſophicè, quod verum theologicè. Impoſtores ergò & verſipelles agunt, timoris & ſpei gratia, qui dicunt, ſe credere revelata, quæ principiis ſuis philoſophicis vident, ut falſa & impoſſibilia ex ſe, ceu contradictoria, proſtitui; talis inſulſa fides in hominem ſanum non cadit. Aut ergò Philoſophia tanquam delira & ſpuria abjicienda, aut religio, & fides hiſtorica ſcripturæ evertenda, aut ducto penitioris veritatis filo, utriuſque harmonia tentanda & invenienda eſt; niſi velimus fuco & larvis induti hominum ſimpliciorum ſpectra eſſe, & omnem veritatem etiam è ſocietate politica eliminare, quo quid alienius ſit à vero philoſopho, & homine ingenuo, vel ſaltèm bono cive, non video. Gratiam ergò habebunt nobis boni omnes, ſi, præeuntibus nobis, viam invenerint, non adeò ſentibus obſitam, ac genuinos veri cultores tandem ad centrum deducentem, ex quo omnia aliquatenus aſpicere, & quodlibet ſuo loco definire, integrum eſt.

CA-

CAPUT III.

De prætensi Mechanismi Naturæ nullitate.

1. Cum Mathematicis jam nobis res erit, qui ab antiquo suis erroribus physicas veritates ludibrio exposuerunt, & simul Dei ter optimi & ter maximi vestigia, veræque religionis semina ex animis mortalium eradicare allaborarunt; quidam directo malitiæ studio, quidam inconsultè substratis conceptuum deliramentis, quorum principium nec finem ipsimet unquam introspexerunt, nec, præ puerili in rebus tactilibus ludendi pruritu, introspicere apti fuerunt. Tales ex Veteribus sunt præcipui *Democritus*, *Leucippus*, *Epicurus*, & *Lucretius*; ex nostræ ætatis verò memoria *Hobbes*, *Renatus des Cartes*, *Gassendus*, *Galilæus*, & alii, quorum ludicra inventa, sub specie subtilitatis cujusdam & eruditionis non vulgaris propinata, jam ferè totum literatorum orbem inescarunt, & eò deduxerunt, ut quasi triumphum, de restaurata naturali scientia, canentes, *Aristoteli formarum substantialium & qualitatum occultarum Professori* socordiæ & ignorantiæ asylum exprobrent, suique ingenii perspicacis acumen miris laudibus & congratulationibus admirentur. Ac equidem non inficias eo, acuti fuisse ingenii plurimos hujus machinæ fabricatores in disponendis rerum corticibus, & evolvendis Geometriæ, quæ non res, sed corporum superficies certis figuris & numeris adapta-

tas, pro objecto habet, problematibus; ſed tamen incautos & negligentes omninò fuiſſe in ſcrutanda rerum eſſentia intimiore. Tactilibus ergò & numeris diſponendis cùm ſe totos dederint, ac omnes reliquos ſenſus, cum *Archimede Syracuſano* inter calculandum & patriæ ab hoſtibus captæ & ſuæ vitæ oblito, quaſi exuerint, mirum non eſt, tam acuti ingenii Viros ſtupendis ingenii eclipſibus obnoxios fuiſſe, iiſque accidiſſe, quod videmus viſu orbatis communiter accidere: pollent hi miſeri præ videntibus tactûs ſenſu exquiſitiſſimo, & in diſponendis & numerandis rerum corticibus admodum ſagaces ſunt, adeò, ut quidam præſtantiſſimi evaſerint mechanici: cujus rei exemplum locus, in quo hæc ſcribo, *Warmonda*, pagus propè *Lugdunum Batavorum*, ſuppeditat luculentum, alens opificem horologothetam artificioſiſſimum, à puero octo annorum prorsùs cœcum; hic quidem cœcus fabricat horologia, ſed neſcius unde inſtrumenta, quibus utitur & quæ connectit, originem trahant. Tales fingamus nobis horologii univerſalis ſpeculativos fabricatores, & eorum ingenii mathematici acumen admirationi nobis eſſe poterit cum horrenda cœcitate conjunctum. Ita alium novi in Germania, hominem planè ineptum, ob converſationis & morum ſtupiditatem omnium ludibrio expoſitum, qui nihilominus ingenio mathematico omnes ſuperat, inque conficiendis horologiis, & extricandis rationum numericarum nodis ad ſtuporem expeditus, in caſibus obſcuris, oraculi loco conſulitur: ut proinde facillimum fuerit, tales

acutos

acutos Mathematicos, quàm primùm extra cortices & objectorum geometricorum cancellos ſapere geſtiunt, ac, conſequentiis à ſuæ artis phænomenis deductis, in objecta realia graſſantur, in deliramenta ac errores incidere horrendos, & adeò homini ſano palpabiles, ut videantur, non ſeriò rem agere voluiſſe, ſed conſultò nugis & figmentis ſimplicioribus imponere.

2. Id verò omnibus enumeratis magni nominis Philoſophis accidiſſe, palàm faciemus, ac ita denudabimus eorum hypotheſes miſerandas & mendicantes, ut omnibus dubium hæſerit, quodnam ex duobus his magis admirandum: an, quòd tanti nominis & eruditionis homines tàm pueriliter ineptire potuerint? an verò, quòd tanto numero ſequaces invenerint ubivis diſcipulos, homines nec delirantes, nec ineruditos? In priore equidem animum admirantis ſiſtere poterit concepta petulantia ludicra, quâ tantos Viros mundi ſciendi cupidi appetitum novo & inſolito dogmate ludendo exercere, ac ſui ingenii acumen venditare, conſtituiſſe, credamus; ſed in poſteriore ratio admirationis firmiùs hærebit, cùm videamus jam ſeriò ſubſtratas hypotheſes ludicras credi, & propagari ab innumeris ferè, eruditione & rerum experientiâ non infimis, & adeò invaluiſſe earum axioma, ut quoque inter opifices & ruſticos inveniri dentur, qui, ſive è ſuggeſtu, ſive ex exſtantibus vernacula lingua libris, cupediis his & ſacris philoſophicis initiati, particularum Carteſianarum farraginem ſemper in promtu habent, ac harum ope cœlum & terram mi-

ſcere, rerumque occultas dotes explicare optimè norunt; felici republica tot philoſophantium numero, niſi verendum ſit, ſub hac particularum pulvere religionem tandem, fidem Romanam & civilem, unà cum utili & ſolida rerum naturalium cognitione ſepeliendam fore, quæ jam dum, acuto noſtro ſæculo, ſitu obducta ſunt, & pauco pulvere facilè conſpectui noſtro ſubduci poterunt. Traduxerunt nempe artis ſuæ mechanicæ inventa non ſatis introſpecta ad totius mundi ſyſtema, indeque in concluſionem nimis præcipitem ruerunt: poſſe eſſe, ut totum univerſum, ſine interventu eſſentiæ ſpiritualis, ad minimum ſibi cohæreat in propagato motu, etiamſi detur, fuiſſe ab initio Creatorem & motorem primum, qui fabricarit machinam, & primum impulſum ad motum excitandum impreſſerit. Hôc primùm, ceu poſſibili, præſuppoſitô, ulteriùs proceſſit audacia inconſulta, & tentavit, an non totum univerſum ex præjacentibus confuſis particulis & atomis confluxiſſe, & in certas motus leges, ex natura & figura particularum reſultantes, coiviſſe comprehendi queat; in qua equidem ſentiendi effræni libidine mechaniſmi leges & ortum omninò tranſiliit, cùm nunquam machinam, niſi ab agente fortiore & intelligente, ordinatam in terra viderit, & hinc dementi prorsùs conatu rei extenſæ non intelligenti adſcripſerit ordinem, & legum motus menſuram, quam, vel cujus ſimilem ſaltem, omnes in æternum Mathematici nunquam ſiſtere poterunt. In utroque verò egerunt ut omninò cœci, & vix tactûs

ctûs sensu adhuc instructi, cùm nullam machinam hominis ingenio inventam ostendere valeant, in cujus combinatione & nexu non tot concurrant agentia spiritualia & non per Mathesin commensurabilia, quot visibilia instrumenta suis numeris & figuris sibi invicem adaptata, quibus agentibus apprimè motus & effectus totius operis adscribendus est, instrumentis numericis & figuralibus non ad movendum, sed saltem ad determinandum & commensurandum motum, destinatis, inque hoc unico utramque officii paginam absolventibus. Ut enim taceam ipsum artificem, ceu Mathematicum, primum operis inventorem & directorem, (quem extensum saltem & insipiens automa dixisse, forte ipsi ægrè ferrent, & qui proinde extra dubium spirituali potestate rem disposuit & direxit) ipsa moventia secundaria à Mathematico sibi subordinata, non agunt & moventur per figuras mathematicas; sed indole quam Mathesis ignorat, & quam nunquam ex configuratione particularum inveniet. Omnia machinarum genera in motu suo conservantur vel *pondere*, vel *duritie*, vel *flatu ventorum*, & *impulso aëre*, vel *motu ignis* aërem vibrantis, *vel motu* & *tractu animalis cujusdam sensibilis*, & ex supra evictis, *facultatis locomotivæ spiritualis*. Instrumenta ipsa connexa, quæ motum machinæ determinant, non inservirent nisi dura essent, & se invicem, renitente conatu, vincirent; quòd si ergò Mathesis, quà Mathesis, non invenerit corporum *gravitatem* & *soliditatem*, *duritiem* & *motum* tam venti & agitati aëris, quàm ignis & ani-

animalium ſenſibilium, ridiculo conatu motum ex configuratione corporum mathematica hactenùs deducet: nullam verò harum affectionum per Matheſin eſſe demonſtrabilem, mathematicè facilè demonſtrabimus. *Gravitas*, quâ corpus, à globo ſeparatum, rursùs globi ſui centrum quærit, & non niſi motu violento, impreſſo ab agente fortiore, versùs atmoſphæræ fluidæ circumferentiam propellitur, quid ſit, ſi quæratur, reſponſum corpuſcularium erit in promptu, gravitatem immediatè oriri ex ſoliditate corporis, & ex onere aëris prementis, à reliquorum globorum atmoſphæra ſeu vorticibus, preſſi, proque majore vel minore ſoliditate & pororum anguſtia, ingredienti aëri locum concedente, pondus augeri & diminui. Quis non crederet hoc dato reſponſo abundè eſſe ſatisfactum? Sed oculi longiùs penetrant, quàm tangentis manus. Evicimus jam ſuprà, vortices prementium atmoſphærarum eſſe figmentum notorium, niſi ſtatuamus, totum univerſum eſſe cruſtâ ſolidâ concluſum, qua extremorum globorum vortices coarctarentur, quod abſurdum ut evitaret *Renatus des Cartes*, veritus eſt ſubſtantiam corpoream & extenſam finitam dicere, aut mundo certos eſſentiæ terminos aſſignare, ne finem globorum & vorticum diſſipatorum ſuis lectoribus aperire cogeretur. Cùm ergò in figura univerſi indefinita non appareat ratio cohærentiæ mathematicæ globorum, concedant nobis Mathematici, tantisper pro ſomniis & figmentis habere hypotheſes ſubſtratas, quas ipſimet ne quidem mente poſſunt con-

concipere: nam quocunque ſe vertant, extenſum ſuum mathematicum in infinitum extendant oportet, ne hypotheſis mendax ſuo fuco privetur: ſi enim cruſtam ſolidam admittant, eodem modo in infinitas cruſtas erit aſcendendum, quarum alia aliam mathematicè compingat: Vel tandem ſubſiſtendum in ſubſtantia infinita non extenſa, quæ extenſam cruſtam ultimam conſervet. Ac admiſſâ demum & præſuppoſitâ cruſtâ, omnes globos cum ſuis vorticibus ambiente; quis motu mathematico graviores & ſolidiores particulas in tot & innumera ferè centra ſe colligere potuiſſe, comprehendet, ad efformandos tot globos ſuis vorticibus ſe invicem propellentes? cùm ſub una cruſta omnia graviora unum centrum neceſſario motu mathematico petiiſſe, ex datis hypotheſibus ſtatuendum ſit: hærent ergò acuti Viri in enodanda gravitate, quam quidem tactu ſentient, ſed mente mathematica introſpicere nunquam poterunt, niſi ſimul-ſe ipſos & totam ſui extenſi machinam in infinitate, & extra figuram omnem velint amittere. Dicant proinde potiùs cum *Ariſtotele*, corpus grave centrum petere globi ſui per qualitatem occultam, & formam ſubſtantialem, quàm, per preſſionem aëris; aut patienter audiant, ſi velint, quâ ratione nos corporis ſolidi gravitatem oculis mentis & intellectui, rerum eſſentias, non nudas cortices, ſcrutanti, ſubjiciamus. Vita illa & ſubſtantia incorruptibilis quæ compingit totum globum, & cum ſuis incolis libero aëre ſuſpenſum verſat, corpora ſibi avulſa eadem facultate vitali & ſpiritua-

rituali rursùs ad ſe rapit, quâ totum ſui convexum conſtringit ab initio, & corpus ſolidius ad matrem communem retractum gravius eſt poroſo, & citiùs fertur versùs centrum, non ob prementem aërem impetuosè incumbentem ſed ob loci contractiorem figuram, & pororum anguſtiam, atmoſphæræ fluidæ, sursùm & ad circumferentiam propulſæ & aſcendenti, non prementi, minùs objectam. Ac ita etiam à vita globi univerſali continentur, & versùs centrum feruntur corpora animalium, quæ licet á viventibus & animabus particularibus ex atmoſphæra fluidâ univerſalis vitæ compacta & extructa ſint, circuloque activitatis ſingulari volvantur, ſubſunt tamen agenti univerſali fortiori, quod motu ſuo omnes incolas ſecum rapit, & hinc onere gravitatis animalium corpora terræ affigit, cùm aliàs quodlibet animantium ſuum domicilium sursùm ferre in atmoſpæræ circumferentiam ex ſe valeret, & actu etiam ſeſe ex motu univerſali extricare aliquandò annitatur, ſubſiliendo & exultando, pro concepti affectus ſpiritualis indole & electione libera. Corpora hinc animalium mortua viventibus multo graviora deprehenduntur, non tàm ob reſpirationis ceſſantis inflationem ſummotam, quàm ob animæ ſpiritualis deficientem locomotivam liberam, qua corpus versùs circumferentiam potiùs quàm centrum fertur; inde & dormientes & ægri vigilantibus & ſanis multo graviores deprehenduntur, in quibus tamen non ceſſat reſpiratio.

3. *Soliditas*, qua corpora tenaciter ſibi cohærent

rent & tangenti resistunt, eadem levitate à nostris Mathematicis neglecta est, vel tacta cœcis oculis; ejus enim rationem suis numeris & figuris nunquam invenient, ceu jam suprà capite primo obiter evictum est; cùm quicquid statuerint in infinitas abeat absurditates, & tandem eorum pedem in *qualitatibus occultis Aristotelis* figat. Sunt nimirum corpora solida quàm plurima, quæ ignis dissipantis & ad circumferentiam propellentis vim omninò eludunt, & hinc à premente aëre sine dubio non compacta erunt: horum particulas mathematicè cohærere quidem dicent corpusculares Philosophi; sed dicis gratia, nisi ipsemet cœcus cœco credideris; particulæ siquidem figura implicatoria præditæ, qua sibi invicem innectuntur, sunt sine dubio in se corpora solida, aliàs enim nullo modo vincire sibi adjacentia dici possent. Resultat ergò eadem quæstio, quâ ratione solidi particularum hami & rami compacti sint, ad præstandum suum officium? per novos sine dubio hamos & ramos, & hi per alios in infinitum; omnis enim figura mathematica corpus supponit compositum, & divisibile. Figuris hinc amissis deveniendum erit in respondendo ad atomos, in quibus omnis cohærentiæ ratio prorsùs evanescit, cùm jam connexionis instrumenta desinant, & particulæ ex particulis innumera propagine adeò multiplicatæ sint, ut Philosophus huic pulveri subducere oculos meritò consultum duxerit, & fateri, dari qualitates occultas & formas substantiales Mathematico intactas, & præcipitibus nimiùm judicibus vapulasse *Stagyritam*

Peri-

Peripathum, quòd, more Philoſopho indigno, occulta ignorantiæ latibula quæſiverit, ubi reſponſi claritate quæſtionis nervum ſolvere impotem ſe videret. Sic & *durities* Mathematicis ſuppeditabit nodum duriſſimum, omnium eorum inſtrumentorum apparatum infringentem, & figuras particularum durarum illicò in fluida phantaſmata reducentem; cùm, ſi ne cohærentiæ generalis quidem ratio figuris ſubſtet, multo minùs duræ cohærentiæ fabrica in propatulo fuerit. Neque enim compreſſio & coarctatio particularum duritiem miniſtrabit, cùm dentur corpora compacta ſatis & graviſſima, quæ non ſunt adeò dura, ut hydrargyrum, plumbum, aurum, &c. & è contrario leviora & poroſiora, quæ dura admodum, ut ferrum & lapides. Neque ex inæquali diſpoſitione particularum & facta hinc poroſitate durum corpus emerget, cùm adamas, duriſſimus omnium, ſolidus ſit & homogeneïtate extenſi ſui ſatis perſpicuè gaudeat, in omni ignis ſicci tortura ſalvus ſemper, nec liquabilis, nec in pulverem calcinabilis. Diſcuſſis ergò ita pulverulentis hypotheſibus, & nimiùm credulis Mathematicis ad penitiora & intimiora extenſi ſui phænomena quaſi manuductis, puto illis, velint nolint, fatendum fore, quòd extenſum quà tale, & omnes affectiones extenſi ipſosmet ſubterfugiant, & quòd hinc horrendâ & inconſultâ audaciâ figuris motum tribuerint; cùm nec ullam figuram ſine præſuppoſito movente & figurante ſpirituali non figurato, ipſimet concipere valeant, & in arte ſua mechanica ipſo facto experian-

periantur, nullam determinatam emergere figuram, nullamque hujus figuræ efficaciam, nisi agens extrinsecum fortius agenti corporis intrinseco, soliditatis & cohærentiæ auctori, minùs forti & ad æqualiter agendum ab opifice summo destinato, limites extensi sui circumscribat, & variis angulis motum ejus naturalem impediat, figurâ exteriore nunquam principium motus existente, sed motum jam prævium in corpore solido vel fluido numericè determinante & suspendente. Apparet hinc porrò, quo distorto ingenio, & quâ puerilis inscitiæ levitate rabulæ quidam nostri temporis acti fuerunt, qui, spiritibus in corpus agendi potestatem adimentes, & ex insulsæ Philosophiæ placitis *mundum fascinatum* novo fascino implicantes, religionem, scripturam, & omnem fidem historicam effectuum spiritualium in corporibus exsertorum, conspurcare superstitionis anilis maculâ, non destiterunt: cùm ne ipsum corpus figuratum quà tale, sine præsupposito spiritu compingente ad momentum quidem subsistere & extensum esse valeat, multo minùs certæ & determinatæ substare figuræ, & omnium minimè, moveri. Quod ultimum, ceu primum insanientis Mechanismi fundamentum evertens, altiùs repetere necessum erit; nam motus efficaciam miris modis extollit *Hobbes*, & ejus nexum subtilibus quidem sed futilibus præstigiis evolvit *Renatus des Cartes*, quibus proinde, & eorum sequacibus, cum sua machina loco motis, fixa & immobilis veritas omnes bonæ mentis facilè movebit, inertibus pariter ac impiis fig-

 men-

mentis valedicere & ſaniora amplecti.

4. Motûs per univerſum tres deprehendi dantur differentiæ: aut enim extenſum emergit per motum, & certis ſuæ configurationis terminis circumſcribitur, ceu colligitur, qui motus dicitur *generatio*, & *creatio*: aut ſpatium ſuæ extenſionis transfert & commutat, qui motus audit *localis*: aut ex determinata figura rursùs per partes reſolvitur, qui motus dicitur *corruptio*, ſeu mors. Nullam verò harum differentiarum ab extenſo, quà tali, poſſe proficiſci, jam dum ſatis evidenter evicimus, & brevi recapitulatione omnium obtutui rursùs ſubjiciemus. Statuamus enim nobis, primum principium *motus generativi* materiam eſſe, matheſeos objectum, cum nugatore *Hobbeſio*; illa materia tùm ſupponenda erit, vel nullius omninò figuræ mathematicæ in atomis, vel certæ configurationis in pulverulentis *Carteſii* elementis primis, corpusculis naturæ minimis, diverſimodè figuratis: quicquid verò horum elegeris, abſurdus eris in demonſtrando motûs principio, & omnem lapidem in caſſum movebis. Ex atomis enim, primò, per motum localem, & confluxum atomorum, certam extenſi figuram emergere, dicendum erit; atomos autem non poſſe localiter moveri & confluere, in aprico eſt, cùm non circumſcribantur loco, utpote omnis dimenſionis & figuræ expertes; figurâ, porrò, determinatum extenſum quantumvis minimum, jam compactum & compoſitum eſſe neceſſariò ſuppones, niſi contra ipſam Matheſin delirare decreveris; unde ergò motus ille, quo prima ele-

menta

menta figuram determinatam ſortita ſunt? Sunt, dices, ab æterno particulæ figuratæ: ſed ſic tot cauſæ primæ, quot Carteſii particulæ; nam æternitas ſeu duratio, nullius rei cauſa productiva eſt, ſed rem exiſtentem comitatur; per conſequens id, quod anguſtiſſimæ eſt dimenſionis mathematicæ in extenſo ſuæ molis, erit infinitæ extenſionis numericæ in duratione, ens neceſſariò exiſtens, circumſcriptum anguſtiſſimo loco, infinitum tempore. *Hobbeſium* hinc meritò, ut apertè inſanientem, derelinquens *Renatus des Cartes* ſubſtituit demum Deum, & cauſam primam ſpiritualem, quæ figuratorum elementorum farraginem confuſam creaverit; ſed non deſtitit, Hobbeſii machinam ex præſuppoſitis his de novo fabricare, & per motus leges mathematicas corporum generationes intermedias & continuatas demonſtrare, ut & exinde motus localis, reſolutionis, & corruptionis phænomena deducere; in quo equidem inſtituto eandem abſurditatum innumerarum telam pertexuit, & ſuos diſcipulos incomprehenſibilium hypotheſium retibus adeò implicuit, ut propoſitiones contradictorias ſingulis momentis protrudant, & ſimul veras eſſe ſtatuant. Didicerunt enim, hoc duce, ſpiritus ex ſe & ſua natura ineptos eſſe, ſuas actiones in extenſo & per extenſum determinare, & motum in corpore ciére, debili freti hypotheſi, quòd cogitando omnis rei ſpiritualis abſolvatur eſſentia; cùm ipſa cogitatio ſit acceſſorium indifferens & actus liber eſſentiæ ſpiritualis, pro lubitu deſiderii exercitus & ſuſpenſus,

quod noſtri cogitatores in ſe ipſis experiri poterunt. Deum hinc, ridiculo conceptu, Creatorem extenſi ſtatuunt, non diſponendo reali virtutis contactu figuras corporum, ſed jubendo è longinquo, ut exiſtant. Ita porrò per ſpiritus creatos oberrantes, & videntes, ad nutum voluntatis liberum & ex affectu ſpirituali ipſos poſſe corpus ſuum proprium de loco in locum proferre, non audent dicere, quòd anima in glandula pineali, neſcio quo vinculo Carteſianæ Philoſophiæ, hærens, corpus reali contactu moveat, ſed quòd juſſu voluntatis imperet ſpiritibus animalibus, ad ejus nutum illicò paratis. Hinc nec, Deum omnipræſentem ſuæ creaturæ realiter eſſe, credere poſſunt, nec, animam præſentem glandulæ pineali vel toti ſuo corpori; Deum proinde, eâdem hypotheſeos difficultate contradictoriâ, etiam in quandam fortè glandulam pinealem totius univerſi coarctant, ex qua jubendo imperium providentiæ exerceat & motum conſervet. Ubique autem contra propriæ animæ ſenſa impingunt, & rationes depromunt philoſophicas ingenio humano imperceptibiles, & omnibus qualitatibus occultis occultiores, harumque coacervatarum cumulo adhuc ſepultas. Jubendo nimirum nunquam ſe produxiſſe aliquid, nec produci poſſe, per rationem & experientiam edocentur, niſi adſint cauſæ intermediæ intelligentes juſſum, & ad nutum jubentis paratæ, vires ſuas depromere; ſi hinc juſſu Dei, è longinquo poſiti, movetur extenſum, non tantùm præſupponendum eſt rationi ſanæ, extenſum in principiis

rea-

realibus fuiſſe, antequam fieret, & moveretur, ſed & intellectu & ſenſu præditum eſſe, quò jubentis nutui obtemperet. Sic nec anima juſſa dabit ſpiritibus animalibus extenſis, quin extenſi eſſe deſinant, & ſenſu & intellectu donentur proprio; dum ergò ſpiritus ſuos & ſubſtantias cogitantes quàm longiſſimè è rerum extenſarum conſortio collocare allaborant Carteſiani, delabuntur in metamorphoſin contradictoriam, & ipſum extenſum extenſione ſua ſpoliant, ac in ſubſtantiam cogitantem reducunt, quòd aptum ſit, moraliter obtemperare ſpiritibus, ac in ſeſe recipere actiones merè ſpirituales: diſtinguunt nempe, dividunt, & confundunt, eodem temporis momento; & dum, ſe omnia diſtinctè ſuis hypotheſibus explicare poſſe, falsò jactitant, in immenſum confuſionis, & credulitatis irrationalis barathrum ſe ipſos præcipites dedére, tot adorantes, & cœcis oculis credentes ſuæ philoſophiæ articulos fidei, quot finxerunt particulas. Nam, nec ex ſe ipſis moveri volunt particulas, ſi principium primum motûs ſpectes, nec, ſpiritus motores immediatos extenſi eſſe per naturam ſuam poſſe, admittunt. Stat ergò immobilis machina conficta per ipſorum fabricatorum hypotheſes, aut machina eſſe deſinet, ſi ex juſſu ſubſtantiarum cogitantium movetur. Et quis non, tot inconditis cogitationibus & juſſibus rem obnoxiam tandem ex ordine dilabi & frangi, metueret. Saniùs omninò penſitavit motûs, & imperii jubentis leges *Canutus* ille *Anglorum* ex victoribus *Danis* Rex, quem cum adulatorum aulicorum grex ſtultus

eò inducere vellet, ut ſibi *Domini Oceani* titulum arrogaret, convocatis conſilii auctoribus, ad fretum acceſſit, magna voce imperans, ut retrocederet, & pediti tutam viam panderet; quod renuente pelago, ait: videte, ad quas ineptias me inducitis, ut nempe imperem ſubdito, quem nec manibus propriis ligare valemus, nec qui dictis noſtris ultrò obedire vult: probè ſciens, vanum eſſe imperantis juſſum, cujus activitatis poteſtas vel non fræna injicere valet ſubdito prætenſo, vel à renuente agente morali eluditur. Sed demus tandem, Deum eſſe primum concitatorem motûs machinæ corporeæ (quod equidem per admiſſa Carteſii erit impoſſibile & imperceptibile) nullo tamen modo propagatio motus perennis per inſtrumenta matheſeos erit poſſibilis, niſi primum movens, machinæ realiter præſens, in motu perſeveret; cùm, ceu ſuprà demonſtratum dedimus, ipſa ars mechanica nullam adhuc ſtiterit machinam, cujus movens primum figuris mathematicis impellat, & impellatur, & quo ceſſante à motu, non ſimul automatis agitatio ceſſet: quicquid ergò ex coaptatis inſtrumentis mathematicis deduxerint ad explananda naturæ phænomena, eodem jure inſtrumentis tribuent, quo jure malleo fabri & limæ quis vendicaverit horologii effectus, neglecto artifice & movente primo. Jejuna hinc omninò, & ex omni parte fragilis eſt rerum naturalium explicatio per matheſis dimenſionem: ipſa enim dimenſio eſſe non poteſt per momentum, niſi per ſubſtantiæ non dimenſæ con-

concursum immediatum, & vix umbram tangit essentiæ rerum, qui in disponendis corticibus visibilibus tangendo, non videndo, ludit & luditur. Et cùm ex data resolutione cohærentiæ mathematicæ, quæ fingitur, ad oculum constet, ipsa extensa in indivisibiles abire atomos, quidni statuamus cum Sacro Philosopho *Paulo*, extensum demum ex non extenso,& visibile ex invisibili, non ex nihilo, per creationem prodiisse, & *ex Deo, per Deum* & *ad Deum* esse, conservari, & vergere omnia; non quidem semper per contactum actionis immediatæ, sed per dispositos sapienter motores intermedios, qui suum ubique extensum singulare compingunt, & moderantur, & ad summi Motoris nutum semper parati sunt, aut, si prava inclinatione spirituali deflectere contendant, imperio ejus summo & ubivis præsente virtute in actibus externis diriguntur & impediuntur; ita ut omnia, tam mala quàm bona, ejus imperio subjecta maneant; cùm degeneres creaturæ spirituales quidem gaudeant concreata libertate eligendi & volendi mala, sed nunquam potestate illimitata, conatus malos in effectum deducendi. Ex quo fonte jam quàm brevissimis omnis motûs in rebus creatis deducemus systema, cujus cohærentiam intueri, intellectui sano non adeò difficile erit, & cujus nexus undiquaque veritates tam naturales quàm theologicas illibatas sistet; imò credenda plurima & mysteriorum fide occultata, rationis oculis perceptibilia subjiciet.

5. Deus ter optimus maximus, & in se, & ex

ſe undiquaque beatus, ceu ſibi ſufficiens, talis concipi non poſſet, niſi ſtatuamus intra ejus eſſentiam principium quoddam paſſivum, & actionum ſpiritualium & vitalium infinitarum receptivum, in quo terminetur, & ſibi ipſi ſenſibilis fiat primi agentis & moventis activitas. Deum ergò qui dixerunt *actum purum*, neſcivére, quid dixerint, & *Atheis Spinoſiſtis* frigidam ſuffuderunt, qui hinc objecta & modificationes extrinſecas Deo, agenti quaſi bruto & ſempet inquieto, dixére ex natura neceſſarias, cùm actus purus in ſe ipſum reflecti nequaquam poſſit, & hinc ab eo tempore quo actus eſt, objecta extra ſe ſupponat. Iſtud principium divinitatis paſſivum, corpus quaſi Deïtatis, & cujus reſpectu Deus in ſcripturis ignis appellatur, & lucem inhabitare inacceſſam dicitur, à Sapientibus antiquiſſimis appellatum fuit *æterna & incorruptibilis natura*, & ſeminarium inviſibile, ex quo in tempore per Deum, liberrimè & ſapientiſſimè agentem & creantem, rerum creatarum individua, & corpora viſibilia, ceu figurata, emerſére. Produco in teſtes ὁμοψήφυς hujus aſſerti Perſarum *Zoroaſten*, Ægyptiorum *Mercurium Triſmegiſtum*, Judæorum *Cabaliſtas antiquiſſimos*, Græcorum *Platonem*, Chriſtianorum, ex primitivis, *Origenem*, *Clementem Romanum* & *Tertullianum*, quem nec ipſe *Auguſtinus* in Catalogo hæreſium ob hanc opinionem condemnare, vel hæreſeos macula conſpurcare auſus eſt, aliàs ſat ſtrenuus hæreſium faber; ex ſequioribus, Anglorum miraculum ſui temporis, *Robertum de fluctibus*, vel *Fludd* dictum, Germanorum

Theo-

Theophrastum Paracelsum, omnes homines solidissima eruditione, & sincera in Deum pietate suis diebus omnibus ferè facilè palmam præripientes, & horum demum omnium complementum & coronam, *sutorem nostrum, Philosophum Teutonicum, Jacobum Böhm*, quem singulari elogio condecorare & admirari, non destiterunt homines nostri ævi eruditissimi, *Henricus Morus & Morhoffius.* Is, licet scripta sua, divinitatis vestigiis referta, barbaris & parùm ipsimet intellectis Chymicorum vocabulis, &, quod laïcis indoctis familiare est, tædiosis ambagibus, tautologiis, & repetitionibus aliquatenùs deturpaverit coram oculis eruditi hujus sæculi; solus tamen congessit, & digessit ea omnia, quæ in antiquis veritatis vestigiis mutilata & sparsa jacent. Summum ergò bonum, Deus, summæ sapientiæ & amoris vestigia propalare gaudens, per actum creativum exiit ex se ipso: concipiens in se ipso, omnipotentis imaginationis collectione, spiritus alios (cujus actus creativi indoles ex producta ceu continuata creatione, in generatione animantium, adhuc elucescit aliquatenus) eosque corpore quodam incorruptibili & igneo, ex æterno principio passivo Deïtatis, vestiens; atque ita sistens primum omnium rerum creatarum systema, *mundum Angelicum*, substantias exhibentem varias individuas, proprio activitatis circulo & libertate præditas, ex *Deo* quidem desumptas, sed *per Deum*, ut suæ essentiæ multiplicatam cerneret imaginem, in Deos quasi minores evectos, & singulari singulos imperio limitato

donatos, obedientia verò, amore & ſubmiſſione ad Deum, quem ſcriptura exſertis *Patrem ſpirituum* dicit, meritò reflexos. Hujus creationis primævæ nil meminit Moſes in hiſtoria creati hominis, præſupponit tamen eam ubivis ſcriptura ſacra & ipſe Chriſtus, hujuſque diſcipuli, Satanæ mendacis lapſum ante hominis creationem apertè ſupponentes. Nec obſcura hæc hypotheſis Judæis tum temporis eſſe potuit, cùm jam *Cabaliſtarum* principes ſeriem creationis per varios mundorum ſpiritualium globos devolutam, antequam viſibilia & craſſa prodirent, ſat, & fortè nimiùm, ſpecificè enarraſſent. Qua ratione verò & occaſione labi & à Deo, beatitudinis fonte, deflecti potuerit lucifer, ſat perſpicuè ſuprà §. 1. cap. 2. ſed conciſè attigimus, & fuſiùs intelligendum dedimus in *fato noſtro fatuo* belgicè conſcripto. Et qua ratione ſimul ex hoc lapſu ſpirituali, & hinc productis in lucifero anxietatis, timoris, iræ & deſperationis affectibus, ſubjectus ei globus igneus cum ſuis reliquis incolis corripi, infici & in ordine concreato turbari potuerit, obſcura umbra hodienum indicant affectus ſpirituales in corrupto homine, illicò ſuo veneno in ſubjecti corporis humores, vel diſſolvendo nimiùm vel coarctando & obſtipando graſſantes. Dedimus tamen hujus corruptionis corporeæ rationes ſpecialiores, in ſecunda parte noſtri *Hodegetæ ad amiſſum Urim & Thummim*, germanicè extantis, ex ordine conſpicuas: nimirum demonſtravimus, corpus creatum igneum duobus ſubſtare principiis componentibus,
aci-

acido adurente, & lumine ſuaviter exhilarante, quæ duo, quamdiu æquali libramento connectuntur & à vita moventur, flammam producunt apertam & agitatam, excedente vero alterutro juſtæ menſuræ limites, ignis ſupprimitur, & vel deſinit lucere, vel deſinit urere: dedimus in hujus aſſerti explanationem experimenta artis chymicæ, ac ſimul evicimus, poſſe artis noſtræ beneficio liquorem igneum ſine luce corroſivum, & quævis viventia calore ſuo lædentem, ſine ullius craſſi vinculi terrei additamento, totum, quantus eſt, converti in pulverem terreum obſcurum, nullo ſapore & calore ampliùs præditum, poſſe itidem principium luminoſum ignis, ſub alcalinorum nomine in conſpectum prodiens, reſolvi in aquam, ſeu phlegma inſipidum. Hinc, à minoris virtutis agentibus ad majoris activitatis ſubſtantias aſcendentes, deprehendemus, nil contradictionis & abſurditatis involvere, ſi ſtatuamus, lapſum à Dei beatitudine ſpiritualiter luciferum, per concitatos inordinatos affectus ſpiritualis malitiæ, conſequentiâ naturali, ſubjectum ſibi globum igneum, per creationem jam dum compactiorem ac fuit in natura univerſali, turbaſſe, &, diſrupto principiorum componentium vinculo & æquilibrio, quodlibet in ſtatum maledictionis degenerem præcipitaſſe: principio caloris & fervoris acido abeunte in terram obſcuram & inſipidam, luminoſo verò in aquam ſeu phlegma iners. Habemus inde veriſimiliter *Chaos* Philoſophorum gentilium *antiquum*; habemus & *Moſis tenebroſum vacuum & inane*, ex aqua & terra

con-

confusè mixtum, quod, ceu textus hebræi explicatio patitur, ex intercedente corruptione priùs creatorum quorundam emerſit, & ex quo jam altera Deo ter optimo molienda veniebat creatio rerum compactarum magis & viſibilium; cujus ſeriem Moſes verbis ut plurimum myſticis ſibi enarrandam ſuſcipit, ut hominibus, cum quibus converſabatur, non Angelis, ſuæ originis elementa, & Patrem generantem patefaceret. Cujus veſtigia, ceu ſaltem conjicio (neſcimus enim, an non à Sapientibus Ægypti, & traditis Triſmegiſti, ipſe Moſes ſua quædam hauſerit) reliqui ferè omnes inter gentiles Philoſophi premunt, tenebras & confuſionem ante lucis ortum Creatori præſternentes; quo nihil abſurdius concipi & cogitari de Deo ſapiente, beato & omnipotente poſſet, ſi prima omnium enarranda ſit rerum Creatio: à lumine enim non prodeunt tenebræ, & ſapiens artifex, unàque omnipotens, non priùs confundit, quæ illicò ordinata & benè digeſta ſiſtere poteſt. Detruſit ergò Deus luciferum cum ſuis ſubditis ſpiritibus, eâdem lapsûs labe infectis, è globo ſui dominii corrupto, ejusque activitatem ſpiritualem, jam variis affectuum furiis agitatam, ad ſuſcitandos perpetui deſiderii & famis cruciatus, ab omni principio paſſivo, in quo determinaretur, ſuſpendit, & in ſe ipſam retorſit, unde infernus & mors ſpiritualiter graſſans ultrò enata eſt: idque duplici de cauſa, ut nimirum reliquis Angelorum choris exemplum juſtitiæ & neglectæ obedientiæ ſtatueret, & ſimul creaturam paſſivam præter ſui meritum

fœ-

fœdatam nova facta reſtauratione ſublevaret, & ex maledictione liberaret. Reſolutis hinc, per immiſſas incorruptæ naturæ igneæ virtutes, funeſtæ maledictionis & corruptionis diabolicæ repagulis & clauſtris, lux demum ex tenebris effulſit, & divinus opifex, orbem hunc aliis incolis nobilitandum conſtituens, non omninò extinxit producta principia ex lapſu ignis & lucis degenera, ſed aquam & terram ſub dominium inductæ rursùs & excitatæ, ignis & lucis, vivacis ſubſtantiæ, quaſi coarctavit, & concluſit, ut ita ſpiritibus de novo creandis ſuperbiæ concipiendæ non adeò magnam relinqueret occaſionem in domicilio non omnimodè formoſo, & ipſos, ad ſui imaginem conditos, eò faciliùs in ſuæ eſſentiæ beatitudine deguſtandâ detineret. Miſcuit hinc admirabili temperamento boni & mali naturalis & corporei ſemina, ut neutris carere viventibus in hoc globo liceat, nec enim ignis ſine terra & aqua, nec aqua & terra ſine igne quidquam ad combinanda corpora opaca valebunt: hinc nec ignis implicatus, & maledictioni obnitens, movetur in his corporibus apertâ flammâ, vel ſplendore & lumine triumphat, ceu fuit & adhuc eſt in Angelorum beatorum ordine, quos hinc à flammis & fulgore ſcriptura ubivis denominat; ſed tacito circulo ſuo officio fungitur, & unà ſecum inertia corruptionis producta, aquam, & terram opacam inſipidam, tanquam cortices volvit, ab agente vitali & ſpirituali ipſe motus & excitatus. Sed ut ſimul ſublevaret agentium vitalium, in digerendis & diſpo-

disponendis tàm gravatis & tenacibus clementis, operam, dedit illis omnibus ministrum, motorem communem, spiritum vivum & intelligentem, magnarum & extensarum virium, *Solem*, eique in habitaculum tribuit perennis & æternæ naturæ incorruptæ portiunculam contractam, seu creatam, igneam & luminosam, per ejus sphæram activitatis diffusam, ex qua per atmosphæram radiorum lucidam exiens, omnes circa se proximè & è longinquo dispositos opacorum corporum globos, quos planetas dicunt, & ex quorum censu noster globus est terraqueus, attingit & penetrat, inque eorum centro conclusum ignem culinarem animæ globi universalis in motu perenni non tantum conservat, sed & atmosphæræ horum globorum effluvia rarefacta, quatenùs conclusi in corporibus opacis ignis & lucis sunt exhalationes, motu suo arripit, & vivâ flammâ, licet, ob dispersi & aquis admisti ignis raritatem, tenui & blandâ, accendit; inde productus in superficie reflexorum radiorum calor non consumens, nunquam limites atmosphæræ transcendens; extra quam omnia rursus frigent, quia lux tùm sine acido igneo spiritus solaris manet vehiculum, potiùs refrigerans, quàm calefaciens; hinc & radii ex opaco reflexi in longinquum augent aquam & motum ignis impediunt; quod ex splendore Lunæ cuivis obvium est, & simul falsitatem hypotheseos arguit, quòd motus ex se producat calorem: aquam enim in æternum moveris motu circulari & confuso, ut & terram, salis omninò & ignis expertem, nullo suboriente calo-

caloris veſtigio, niſi ignea ſimul admoveris. Ope ergò hujus *Solis*, quem non iniquè oculum univerſi nuncuparunt antiqui, omnia viventia ignem ſuum culinarem accendunt, & poſtmodum pabulo debito, ex concluſo igne corporum deſumpto, intra terminos conſervant, qui ignis, motu ſemper agit contrario motui animarum viventium & intelligentium reliquarum: nam ſpiritus ignivomus, ex Creatoris juſſu, movet diſſolvendo & protrudendo ſoluta ad circumferentiam; anima verò intelligens & ſentiens, pro activitatis ſuæ à Creatore datæ modulo, colligendo proficua & coacervando occupata eſt: diſſolvit ergò ignis compacta, & hinc omnibus viventibus oritur exhalationum atmoſphæra, ex qua ſoluta atmoſphæra anima, ope aquæ & ignis non flammantis, acidi nimirum, colligit ea quæ apta ſunt ad nutritionem & auctionem ſuæ machinæ & domicilii, ut ita mutuo occurſu agentium contrariorum exquiſitum inveniatur mediocritatis temperamentum, & mutuum adjutorium, dum anima igni colligit perpetuum pabulum, & ignis animæ agenti concretionis maledictæ in objectis corporibus ſolvit nodos, aquam nimiam per exhalationis rarefactionem diſſipando & in aërem convertendo, & terram concretam in pulverem minutiſſimum calcinando, qui, quantum fieri datur, per varias ſeparationes, & adaptata hunc in finem inſtrumenta, ſequeſtratur, inſerviente inſuper humorum inſtrumentalium vehiculo, quorum indolem ſuprà in conſpectum dedimus. Quid verò de globis reliquis planetarum opacis ratione incolarum

ſta-

ſtatuendum ſit, hîc non definiendum; puto ſaltem, omnes hos globos per novam creationem ex corruptis luciferi elementis, æquè ac noſtrum, eſſe productos, nec ſuis deſtitui incolis ſpiritualibus, qui an eandem rurſus lapsûs ſecundi ſubierint aleam, ac *Adam;* an verò perſtiterint obedientes, quis definiverit? Sic & reliquas ſtellarum fixarum ſphæras lucidas, ſolis æmulas, ſuis beatis & incorruptibilibus incolis plenas eſſe, credo, nec, ſi per has multivarias illas manſiones in domo Patris ſui à Chriſto aſſertas, intellexero, adeò hæreticus deprehendar; cùm Dei beatificam fruitionem & intuitionem nullus locus impediat, utpote omnibus ubivis præſentis, & omnia verbo virtutis ſuæ gubernantis & ſuſtentantis. Cur enim, noſtrum punctum exiguum, tot & tam diverſis incolis refertum, peculiari præ reliquis tam vaſtis convexis gaudere privilegio dixero, nullam video rationem, cùm ex tacente revelatione ſcripta nullum argumentum negativum necti queat, quæ data eſt nobis, ut nobis proficua & nocentia eligamus & vitemus, non ut omnia Dei immenſi & ſapientis opera exinde enumeremus. Sed revertamur in noſtrum domicilium novæ confuſionis maledictæ labe ulteriùs infeſtatum. Homo nimirum, præcipuum hujus globi ornamentum, peculiari adhuc & defæcatioris manſionis loco à creatore donatus, in ſtatu tentandæ obedientiæ, fidei & amoris erga Creatorem non perſtitit, ſed mentem ſoli Deo dicatam, & puriſſimæ ejus naturæ delectamentis ſatiandam, ſuadente invido Satana (quem, licet

è do-

è dominio ſubjecti paſſivi dejectum & tenebrarum, ceu malitiæ ſpiritualis vinculis conſtrictum, aſſerente ſcriptura, dixerimus, propterea tamen loci carcere incluſum & detruſum ne putemus, nec ei ademtam moralem & ſpiritualem malitiæ communicationem) in creaturas inferiores convertit, nec hîc inveniens pabulum deſiderio & ſuæ activitatis fundo adæquatum, ſe nudum & undiquaque egentem deprehendit, inque turbam affectuum peſſimorum incidit, quâ ſimul ſubjectam menti animam corripuit, ac, per hanc irritatam, maledictionem novam, & principiorum paſſivorum dyſcraſiam, in ſubjecta corpora invexit, nunc eò faciliorem, quia concluſa in hoc ſyſtemate prioris maledictionis ſemina progreſſum, ſuppeditato fomite, accelerare poterant. Miſeratus verò Conditor vicem ſeducti noluit eum prorsùs deturbare loco, & cum lucifero in cruciatus affectuum in ſe ipſos agitatorum & reflexorum conjicere; ſed erexit in ſpiritu mentis, vocando & invitando ad cibum Deïtatis amiſſum, deſiderium & fidei famem, eique in Chriſto viam aperuit, novæ creaturæ domicilio, ex puriſſima æternæ naturæ eſſentia collecto, rursùs veſtiri, inque hac nova, lucente, & divinæ naturæ domo, contra omnes peccatorum inſultus certamen legitimum abſolvere, & tandem, poſt mortem, ipſam animam in contubernium perennis hujus felicitatis ſecum evehere, quæ Salvator & ejus diſcipuli verbis emphaticis ubivis inſinuant; at animæ conceſſit in ſuo corpore fluxa principiorum paſſivorum oblectamenta. Sed, ne ſpiritus de

novo ſe manciparet connubio terreno, expulit eum ex loco terræ beatiori, inductaque ulteriùs in alimenta & elementa maledictarum coagulationum fœcunditate, ex perturbatis agentibus ceu viventibus naturali vinculo emergente, mors tandem, ſeu receſſio animæ ex inhabili & deturpato domicilio ſupervenit, maximum ſpiritui & menti, ad quærendum cibum ſolidum & duraturum, incitamentum, & hinc non tam pœna, quàm remedium lapsûs; quô quaſi vi ſpiritus perennis, & ex ſe, ut & ex creaturis inferioribus, nunquam beatus, adigitur ad deſiſtendum à caducis, & ad quærenda ea, quæ poſt mortem manent præſentia. Corpus tùm, ſeu materia paſſiva, igni & ſolis radiis reſolvenda, & aliis agentibus in ſuam activitatis ſphæram rapienda & determinanda conceditur. Sic unius corporis corruptio eſt alterius generatio, & volvitur jam ab agentibus ſpiritualibus iners corruptorum elementorum materia, modò elevanda & depuranda, modò ulteriùs inficienda, pro indole & affectu agentis, donec in conſummatione rerum, affuſo ignis diluvio, maledicta coagulatio omninò reſolvenda, & abſorbenda veniat: quod negotium vel unus ſol in propiùs ſibi admota globorum opacorum convexa facili labore confecerit, cùm in omnibus inveniat latentis & concluſi ignis ſemina, eouſque ſuffectura concremando, donec vel omnia intimè diſſoluta in circulum ignis fluidum rapiantur & occultentur, vel in fixa & homogenea diaphanitate pulchritudinem primævam oſtendant. Ita declarat Chriſtus, omnis maledictio-

nis à Deo datus abolitor, ita oſtendit Propheta Apocalypticus naturæ reſtauratæ faciem, liberam ab aqua & opaco terreo inerti, principiis non ſic creatis, ſed ex luce & urente igneo in lapſu productis; ita demùm ſuadet ſana ratio & experientia chymica, qua phlegma, & opacum terreum iners, virium congenitarum cujusvis corporis deprehenduntur impedimenta, & nullius efficaciæ, niſi quòd vehiculi loco eſſe poſſint, & actum nimium quandoque ſiſtere in officina fragili & variis confuſionibus obnoxia; & qua experientia etiam, ignis & admiſtorum igneorum vi, ipſa opaca coagulatio reſoluta in diaphanum mixtum abit, quin ipſum phlegma iners in concretum transparens reducitur: evidente ſaltem indicio, non eſſe abſona & impoſſibilia in ſe, quæ Religio Chriſtiana de lapſu & reſtauratione creaturarum ſuggerit; cùm in utroque nil novæ producatur eſſentiæ, ſed ordo ſaltem connexionis vel turbetur vel reſtauretur ab agentibus libertate & poteſtate limitata & illimitata præditis, ſuo genio libero, vel creatoris juſſui obſecundantibus; qua libertate ſi creatura omnis deſtituta fuiſſet, nunquam innotuiſſet inter creaturas Creatoris ſummi potentia, ſapientia, amor & juſtitia, atque ita ipſe Deus fruſtratus fuiſſet Creationis fine ultimo, qui erat, in creaturis amore multiplicato ſui ipſius contemplari imaginem, & ſe ſimul creaturæ, pro capacitatis modulo, in omnibus cognoſcendum & amandum dare, ubi ſanè omnis dependentiæ, amoris, bonitatis, & obedientiæ debitæ ſenſus deſinit, ſi

 ſpiri

ſpiritui viventi non liberum eſt exercitium, ſua deſideria huic vel illi objecto affigere, & experiri, quid inter creaturam & Creatorem interſit, & quanto intervallo diſtet utriuſque beatitudo. Sic ex libertate, ſe huic vel illi objecto applicandi, ſpiritus ad imaginem Dei conditus invenit; Creatorem *ſolum ſummum eſſe bonum, quod omnibus dat & à nullo accipit*, & hinc deſcenſus deſiderii ad bonum caducum & exile, in ſtatu tentationis & penuriæ divini cibi conſtituto labenti excuſabilis non eſt: vilipendit enim optimum, quod ut tale jam deguſtaverat, & abjecit fidem & ſpem in patrem omnium, ex quo non niſi bona promanaſſe hactenùs cognovit; è contrario fiducia & amore amplectitur creaturam, micam quaſi divinæ bonitatis, & ex ſe undiquaque egentem & debilem, niſi continuo ſuccurſu foveatur, ipſoque labente multo viliorem, in debilis & coarctatæ vitæ circulo, & hinc prorsùs indignam, quæ ſit illius Deus, quem Dominum integri orbis Creator conſtituerat, & cui conceſſerat vitæ quaſi infinitæ fundum, mentem auguſtam, ſolo Deo & ejus beatitudinis theſauris ſatiabilem.

6. Ex hoc motûs ſyſtemate aperta, puto, panditur via inveniendi rationes phænomenorum naturalium pariter, ac plerorumque fidei articulorum, qui aliàs ſudes fuerunt in oculis ſapientum hujus ſæculi; iterque proſtat expeditum inter *Scyllam* & *Charybdin* navigaturis: nec enim in explicanda ſerie cauſarum opus ampliùs erit, jejuni Mechaniſmi malè cohærentes nectere figuras & particulas, nec, ad principium motûs inve-

veniendum, delabi in *Spinosæ* modificationes horrendas unius numero principii vitalis, naturæ, vel Dei nomine illi expressi. Hic nimirum malè feriatus Philosophus, maximo conatu & imaginationis distorto acumine maximas nugas agens, & continuato tramite contradictoria contradictoriis nectens, in confusionis stupendæ insaniam prolapsus est, ex detecta principiorum mechanicorum absurditate, & ex collectis disputationum theologicarum spinis, de absoluto Creatoris decreto, & agendi creaturarum facultate spirituali à movente omnium primo immediatè directa, & captivata, ut & ex asserta impossibili hypothesi: *Creationem potuisse fieri ex nihilo, & res creatas in nihilum rursùs posse resolvi*, cui statuminandæ afferebantur rationes ipso nihilo magis vacuæ & incomprehensibiles: has, inquam, nugas & credenda inania alto supercilio dispiciens & despiciens, & suæ gentis Philosophorum antiquis principiis Cabalisticis, malè tamen intellectis, imbutus, processit in scenam, asserens: Dei actiones non esse liberas, agere & egisse ex naturæ suæ legibus, nec unquam tempus intercessisse, quo aliter egerit, ac nunc agit, neque futurum, quo aliter acturus sit. Ac, ut præscinderet intricatas de Dei decretis quæstiones, omnes res creatas dixit modos unius principii activi modificantis, nec esse aliter posse ac sunt; non *per decretum* sapienter & liberè agentis, sed per naturæ universalis fixas & statas leges & essentiam ipsam moventis primi; & sanè, huc prolabi prædestinatorem, facilè erat: vix enim sapientem & bonum

eum dixeris, qui ipse fabricat & movet, quæ sibi nauseæ & odio sunt; & punit, legibusque constringit, quorum aliter agendi, ac agunt, nulla est potestas. Sed cùm demens ebrio videret, totam naturam reclamare huic opinioni, & non ita implicari brutis suæ essentiæ legibus, quin leges & sapientia ipsorum hominum eam possint constringere, & ejus agendi impetum moraliter & physicè determinare, sui ipsius prorsùs oblitus, duplicem hominis comminiscitur statum, utrinque contradictorium: alterum *naturalem*, in quo feratur naturæ legibus fatalibus; alterum *civilem*, in quo naturæ impetus per introductas & acceptas religiones & electitias leges suspendatur, & aliter determinetur: nec vidit occœcatum ingenium, ipsam ita naturam modificantem, & primum illud movens, quod ex brutis suæ naturæ legibus agere asserebat, in motu suo impediri, & quidem à modis ipsis, naturæ universalis umbris, qui modi sapientia, bonitate, astu & vi ultra modificantis & primi agentis sphæram longè ascendunt; & simul ostendunt, per novam contradictionem, posse esse aliquid in modo, & in creaturis determinatis, quod non sit in modificante primo: nimirum sapientiam, consilium, & se determinandi ex rei indigentia potestatem liberam: homo hinc sapiens, bonus, justus, verax, modus est, fugax & scenica imago Dei, ceu naturæ non sapientis; est, inquam, *modus*, nullius propriæ subsistentiæ & essentiæ, nec tamen hæc attributa primo moventi competent, cujus est modus:

affe-

affectiones nimirum ſpirituales, vitales, ſenſitivæ & nulli mathematico extenſo competibiles erunt ſine ſubjecto reali in rerum natura, juſtitia ſine ente juſto, ſapientia ſine ſubſtantia ſapiente, bonitas ſine bono ſe ipſum ex amore communicante, & ipſa ſtulta hæc Philoſophia ſine *Spinoſa Philoſopho*, qui cùm ſit, ex hypotheſi, non peculiaris ſubſtantia activitate propria & vita perenni & individua donata, ſed umbra ludentis moventis primi, quod movens primum, ex altera hypotheſi, non eſt ſapiens, & ſpeculationibus ratiocinationis ſubjectum, conſectarium eſt, in nihilo hærere Philoſophiam, vel ipſum Philoſophum omnium eſſe inſanientium Coryphæum, ſi de veritate hujus delirii perſuaſus fuit; aut omnium malignorum peſſimum, ſi deſtinato conſilio, ad deturpandas hominum mentes, ſpinoſas & ludicras contradictionum tricas *cæcutientibus & vertigine correptis* objecerit, quibus tales prorſùs ex ſtatu hominis ſani dejicerentur: nam oculatos & uſquequaque ſapientes hæc opinionum contradictoriarum portenta nunquam tangent; nec poſſibile eſt, quenquam harum cupediarum guſtu demulceri, niſi qui, repulſis ſanæ rationis dictaminibus, decrevit, pravis naturæ & vitioſorum habituum inſultibus auſcultare, & hinc ſibi aptas leges ponere, non quas veras eſſe convictus eſt, ſed quæ electum jam vitæ genus tutum & optimum declarant.

Habes hic, candide lector, quæ in re ardua, nec adeò obvia, ex animi candore & proximo inſerviendi ſtudio congerere jam viſum fuit.

Nisi iniquus fueris censor, fateberis tecum, nec absurda nec impia esse, quæ fortè plurimis paradoxa & nova videbuntur; ac firmo rationum filo totum systema ita sibi cohærere, ut subversuro multô majus onus aggrediendum præsternatur, quàm quod sana ratio invenit, in displodendis *Mechanismi* & *Spinosismi* indigestis & ludicris plerumque tricis, imò quisquiliis. Fateor, quædam problematicè & verisimiliter ad complendum totius nexum esse inserta, quorum ratio à priore rigido vitilitigatori vix reddi poterit, (quis enim in hac rerum & scientiæ nostræ caligine eousque penetrabit, ut non plùs ignorantia tectum, quàm acumine mentis erutum deprehendatur?) esse etiam quædam, quæ destinata nobis brevitas non permisit, specialiùs per experimenta explanare; sed vertiginosum & contradictorium sibi me nemo, ceu spero, inveniet, & plurima ita evicta & declarata sentiet, ut, ordine suo inserta obscuriora pauca vix aliter esse posse, ex combinationis ratione facillimè persuasus fuerit. Si fortè quibusdam incongrua juvenilibus annis videatur libertas & styli acrimonia, quâ perversæ sapientiæ antistites, viros eruditos & spectabiles, perstrinximus, eorumque ludicris placitis, quasi triumphum agentes, insultavimus, suo abundet, me permittente, sensu; nec enim operosi erimus in amolienda labe, & culpa personali, qui fragilitatis nostræ conscii nihil humanum à nobis alienum putamus, nec aliorum judiciis severioribus dicam scribemus, si, se rationum momentis duci, credant. Rei tamen

men ſubſtratæ indignitas, & hypotheſes tàm impietatis, quàm dementiæ aperta ſatis inventa, excuſabunt aliquatenùs animi in bonum publicum propenſi affectus pro bono concitatiores, videntis, non tantùm religionis veræ fundamenta, ſed & ſocietatis civilis honeſta vincula, & philoſophiæ naturalis, cui Medicina unicè innititur, axiomata indubitata, adeò proſtitui & enervari, ut, tandem ſub malitiæ & ſtultitiæ tyrannico imperio, quicquid boni & veri adhuc ſupereſt, animam agere, verendum ſit. Occurrimus hinc ex conſcientiæ & notitiæ conceſſæ dictamine tanto malo, non ſolùm evidentibus argumentis rationi ſanæ ſatisfaciendo; ſed & ſenſibili aliquatenùs ſcriptionis genere noſtri temporis ingenia bona, his ineptiis implicita, vel ad eas amplectendas prona, pudefaciendo & retrahendo, nec ſpe deſtituimur capeſſendi alicujus fructus ex locata opera. Quo indutus animo, & qua ductus intentione ſi contra nos inſurrexerit antagoniſta, eadem libertate noſtra pererrare & perſtringere, ei integrum erit, nec unquam gravabimur, meliora edocenti, & falsè etiam monenti obtemperare, ſi rationibus & experientia inſtructus erudiat, non verò cœco impetu, & fragili anteceſſorum auctoritate terreat, & imperet. Si verò cuidam irritato, & in ſua ſupellectile, per nos turbata, confuſo volupe ſit, vindictæ & impotentis animi retorquere fulmina, vel avulſa ex totius ſerie quædam ſugillare, & ceu paradoxa & heteredoxa coram ſui ſimilibus deridenda exponere, non tacto integri ſyſtema-

 tis

tis nexu, neque vindicato ab indicatis contradictionibus & absurditatibus suæ philosophiæ complexu; sciat in antecessum, nos fore piscibus magis mutos, & cuivis plenariam concessuros licentiam se ipsum defatigandi, & ulteriùs denudandi; nec enim tali armorum strepitu unquam veritas aliquid perpessa est, sed potiùs clarior emicuit, &, excitatis subinde inquisitoribus talium paradoxorum novis, suis aucta est asseclis. *Faxit Deus, cui nos ipsos, & nostra debemus qualiacunque dona bona, ut cedant omnia in sui nominis gloriam, & proximi emolumentum!*

FINIS.



Hypo-

Hypotheses explanatoriæ.

1. Extensio non est attributum essentiale, sed accessorium, materiæ, ceu principii passivi.

2. Atomi, ceu corpora insecabilia discreta, non sunt, nec esse possunt.

3. Divisibilitas materiæ physica ex accidente est. Et qui, in infinitum eam dividi physicè posse, asserunt, infinitè potiùs absurdi esse malunt, quàm sibi ipsis cogitando satisfacere. Nec à divisibilitate metaphysica, ceu mathematica numerorum in infinitum, ceu videtur, extensa argumentum validum datur, ad evincendum quæsitum; nisi fortè, ex multiplicationis mathematicæ & numericæ infinitæ possibilitate, quam tibi fingis, extensum aggregatum & locale simul infinitum termino te posse assequi, confidas. Abstractionum mentalium sanè possibilitas non infert rerum possibilitatem, si ex causæ primæ beneplacito ea dependeat, ceu dependere certum est; & numeri cum figuris, quibus disponendis Mathesis luxuriat, res existentes sequuntur, nunquam constituunt. Nec Deus ad inania numeri mysteria Pythagoræorum conceptas in creatione Ideas disposuit, vel ea produxit, quæ nobis videntur possibilia.

4. Locô, ceu essentiæ certis terminis, & activitatis sphærâ, circumscribuntur quælibet creata, tam spiritualia viventia & indivisibilia activa, quàm extensa & compacta passiva.

5. Ex quo materia facta est physicè divisibilis, firmas & statas particularum componentinm figuras

guras non habet, nec unquam antea habuit; sed ad quamvis suscipiendam figuram semper apta est, & indifferens: & figuræ sequuntur genium principii activi moventis figurantis, & compingentis.

6. Incorruptibilem, ceu indivisibilem per partes componentes, animari ab agente creato materiam, non repugnat, nec omne, quod trina dimensione definitur, ideò physicè in partes divisibile ceu corruptibile est, quandiu activum compingens suo muneri vacat, nec per affectus inordinatos distrahitur.

7. Non creavit Deus ter optimus maximus, nec creare potuit (nisi potiùs destruxisse & corrupisse dicendus sit;) particulas in corporum elementa & principia componentia destinatas; sed cuilibet agentium & spirituum creatorum addixit integram, & incorruptibilem ex se, æternæ naturæ contractam portionem, definitam sphærâ activitatis vitæ creatæ. Nec unquam vita principium passivum sibi creditum deseruisset, & morti, ceu resolutioni exposuisset, nisi error & lapsus utrumque confusione inextricabili implicuisset, & divisibilitatem corruptivam materiæ induxisset.

8. Et sic, corruptibile & physicè divisibile rursùs induere posse incorruptibilitatem, & fixam homogeneitatem, tam rationi sanæ, quàm asserenti Salvatori & Apostolo consentaneum est: non enim restitutio eorum in integrum impossibilis erit, quorum depravatio & corruptio possibilis fuit. Et contraria, imò contradictoria, in eodem subjecto per vices vera esse posse, disputatorum nemo hactenùs inficias ire conatus est.

Sup-

Supplementum ad Paragraph. 6. & 7. *Capitis Secundi.*

Ut adimatur contradicturis ſubſtrato à nobis fundamento generali, ad inveniendam morborum geneſin, occaſio ſe ipſos & alios inani prætextu ſuſpendendi, diſcutiemus brevi quædam paroramata, nobis oretenùs, &, ni fallor in intentione hariolanda auctoris, etiam ſcripto publico oppoſita; ut veritas aſſerta, & indubitatis experimentis innixa, in commodum medicantium & ægrotorum eò minus involuta compareat, & proniores nanciſcatur aſſeclas. Succum, *primò*, pancreaticum, & glandularum omnium, præ omnibus officinæ animalis humoribus acidum eſſe, negare ſe poſſe putant; *quia deguſtatus linguæ ſaporem acidum non imprimit.* Sed fallaci omninò indicio, cùm acidum acerrimum ſub viſcido lentore terreo, vel ſub oleoſis involucris occultatum inſipidum fiat: ſic ſulphur minerale, vel etiam acidum vitrioli, addito oleo inflammabili, in ſulphur minerale rursùs reductum, acidum ſuum abundantiſſimum linguæ non communicat, & abſtractum fortiter à terreis abſorbentibus, amiſſo ſapore idipſum recondit; ſed an ideò, acidum in his non prædominare, aliquis dixerit? Sic occultatum in lentore viſcido lymphæ glandularum acidum non linguâ tentandum; ſed vel diſtillatione, vel putrefactione digeſtiva, quâ vincula viſcida fundum petunt, eliciendum, & tùm linguæ demùm experturæ conſtabit rei veritas;

ritas, & experimenta hæc cuivis obvia esse possunt ex saliva, quam glandularum succum esse, omnibus constat; exceptam tamen velim salivam scorbuticorum, in quibus acidum à sale lixivioso & muriatico absorptum deprehendetur, nec per fermentationis putrefactivæ subsidium in conspectum prodibit. Eadem levitate sentiendi putant, *secundò*, bilem & succum pancreaticum alcali & acidi connubium non constituere, *quia non agunt in se invicem cum visibili effervescentia & ebullitione, quæ communis est salibus alcalinis & acidis sibi commixtis:* nam hanc turbam, commodô maximô naturæ, impedit oleositas bilis & mucor tenax succi glandularum; separatis verò per destillationem oleosis & terreis vinculis, ordinaria alcalinorum & acidorum phænomena præstò erunt. Interim bilis integra compages acido commissa, licet non sensibiliter ebulliat, destruitur tamen, & in mucorem abit albicantem, non ampliùs amarum, sed subdulcem: quô experimento videtur inniti nunquam satis laudatus noster *Hippocrates*, dum *Libr. de Diæta in acutis*, asserit, *ea de causa acetum biliosis magis, quàm melancholicis conferre, quia amara dissolvantur & in pituitam vertantur, at succus Melancholicus ulteriùs fermentetur, sublimetur & multiplicetur, per acidum.* Ac nisi consultò errones agere, & præconceptis imbuti cerebelli inania phantasmata rerum gravissimarum experimentis præferre statutum maneat, ipsius chyli color albicans, & sapor dulcis confusionem dictorum liquorum contrariorum apodicticè evincit: & provocamus in arenam secùs sentientes,

ut

ut ſimile quid, non contuſis alcalinis, acidis, & oleoſis, præſtent nobis, paratis, ex talium diverſa mixtura colorem lacteum; & ſaporem dulcem non uno experimento artis in conſpectum producere, imò ex conjunctis tribus liquoribus homogeneis, quorum neuter dulce ſapit, talem dulcedinem propinare, quæ omne mel & ſaccharum multis paraſangis poſt ſe relinquit, oſtendere etiam, quâ ratione, incumbente flamma culinari, chylus albicans abeat & concentretur in ſanguinem rubicundum, & rursùs ex ſanguine rubicundo, per affuſam ex glandulis mammariis lympham ſubacidam, chylus albicans & lac emergat; ut conſtet, chymicè in ſua officina animam agere, & artis chymicæ beneficio præprimis in ſyntheſeos rerum naturalium cognitionem ſolidam deveniri. Ab Anatomicis verò noſtri temporis admodùm oculatis poſtulamus, ut nobis explicent, quare lien colore ex atro & fuſco rubeat? quare tot arteriarum, paucis verò venarum oſtiolis irrigetur? quare deniquè ſtomacho & pancreati firmis vinculis committatur, & in nullas alias regiones collecta liquida ſuæ officinæ derivare deprehendatur? nil ſanè, quod rationi conſentaneum erit, regerent, niſi nobiscum aſſerant, deponi ab anima provida ex ſanguinis maſſa recollectum in lien humorem acidum, unde viſceris hujus parenchymati, ex ramo ſplenico venæ portæ ſuum nutrimentum haurienti, color hic peculiaris inducitur, & porrò eundem humoren acidum exſugi ex ſpongioſa ſubſtantia lienis à glandulis pancreaticis & ſtomachicis per tenues lymphaticorum vaſorum

cana-

canales, inibi ulteriùs perficiendum, & muneri ſuo deſtinandum, nimirùm, ut in ſtomacho cum deglutita ſaliva fermenti primi vicem rursùs ſubeat, & in inteſtino duodeno cum bile commiſtus nova commotione & præcipitatione ſeparationem ſpiſſi à tenui moliatur, & chylum colore albicante, & dulcedine ornet. Et ſi porrò huc revocentur ea, quæ in hypochondriacis & cachecticis, quibus nimiô collectô acidô lien intumeſcit, notantur, quòd nimirùm appetitu canino plerumque infeſtentur, nec tamen ex cibis ingeſtis nutrimentum bonum colligant, nemo, niſi in ſe ipſum, de meliore conſcium, injurius, facilè negabit aſſertorum evidentiam; & ſperamus, omnes veritatis amantes nobis aſſenſuros in aſſerenda veritate, & hypotheſi, quæ ignorata, vel abjecta, rem medicam non poteſt non perverſam reddere, & decumbentes innumeris malis affligere.

TANTUM.